BQ
6940
Y6T3

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/dedoctrinismetap00tres

ANALECTA SACRA TARRACONENSIA

ANY V — MCMXXIX — (EXTRACTE)

NOV 7 1950
15400

ANALECTA SACRA TARRACONENSIA

Anuari de ciències eclesiàstiques en el sentit més ample de la paraula. Han sortit cinc volums (1925-1929) en quart major, de més de 500 pàgines. Preu de cada volum, 30 pessetes.

TIRATGES A PART:

Bibliografia hispànica de ciències històrico-eclesiàstiques. Dóna un resum de tots els treballs científics de tema religiós o eclesiàstic publicats a Espanya i dels principals publicats a l'estranger sobre temes hispànics. Publicats dos fascicles amb 13 treballs resumits. Preu 6 pessetes fascicle.

Del primer fascicle diu la *Revue d'Histoire Ecclésiastique* de Louvain, volum XXIV (1928) p. 961: «Cette liste pourra rendre d'appréciables services à tous ceux qui s'occupent du passé religieux de l'Espagne; elle semble être fort complète, elle est minutieusement composée d'après des divisions parfaites.»

JUAN FERNÁNDEZ DE HEREDIA, GRAN MAESTRE DE RODAS (siglo XIV). *Vida, obras, formas dialectales, por el* DR. JOSÉ VIVES, *Pbro.* 5 pesetas.

CATALANES Y ARAGONESES EN LA CORTE DE CALIXTO III, *por el* DR. JOSÉ RIUS, *Pbro.* 10 pesetas.

LA DOCTRINE PENITENCIELLE DE SAINT RAYMOND DE PENYAFORT O. P. *par le* R. P. AMEDEUS TEETAERT, *O. F. M. Cap. S. Th. Dr. et Mag.* 5 pesetas.

CARTES ANTIGUES DE SANT MARTÍ SACOSTA, *pel* DR. D. JOSEP RIUS, *col·laborador de* HISPANIA PONTIFICIA. 4 pessetes.

BIBLIOGRAFIA HISPÀNICA DE CIÈNCIES HISTÒRICO-ECLESIÀSTIQUES. Dels anys 1925-1927. — 96 pàgines 6 pessetes. Havem tirat alguns pocs exemplars a una sola cara de cada full, que es venen a 9 pessetes.

DE QUIBUSDAM DOCTRINIS METAPHYSICIS FRATRIS THOMAE DE EBORACO (OXONIAE MAGISTRO AN. 12 *a* DR. F. TRESSERRA. 5 pessetes.

DIPLOMATARI DE SANT RAMON DE PENYAFORT, *per* F. VALLS I TABERNER. 5 pessetes.

DE DOCTRINIS METAPHYSICIS FRATRIS THOMAE DE EBORACO, O. F. M. (Oxoniæ magistri an. 1253)

PROOEMIUM

Thomas de Eboraco secundum occupat locum in quinque periodis in quas dividit Emm. Card. Ehrle (1) magistros Ordinis Minorum qui praecesserunt Scotum. Schola franciscana iam a suis initiis suos splendores distribuit inter Galliam et Angliam; Parisius et Oxonia, duos abhinc a primis decenniis saeculi XIII, magnos habuerunt fundatores: Alexandrum Halensem et Robertum Grosseteste. Cum Alexandro coniunguntur Ioannes de Rupella et Odo Rigaldus; cum Roberto computari potest primus ex ordine Minorum Oxoniae lector Adam de Marisco. Post Alexandrum Parisiis magnus eius eminet discipulus Bonaventura; post Robertum Oxoniae nullus procul dubio de Philosophia est adeo benemeritus sicut Thomas de Eboraco.

Eius magnum opus quod *Sapientiale* intitulavit, nullo modo potest negligi in historia philosophiae scholasticae saeculi XIII, et tamen, sicut plura alia egregia scripta manet adhuc ineditum, immo fere ignoratum. Primus forte qui Thomam de Eboraco recensuit, uti scholasticum cui atentio debebatur, fuit Card. Ehrle in articulo allato (2). Felder (3) et Little (4) historice eius vitam illustrarunt et scriptum eius philosophicum recensent, sed primus qui *Sapientalis* studium aggressus est, fuit M. Grabmann (5) qui secundum *Sapientalis* codicem in Bibliotheca Vaticana adinvenit (6) super quem notitiam totius operis dedit, brevissimam quidem sed quae suffecit ut docti histo-

(1) *Das Studium der Handschriften der mittelalterlichen Scholastik mit besonderer Beruecksichtigung der Schule des hl. Bonaventura*: *Zeitschrift für katolische Theologie* 7 (1883) 40.

(2) Pág. 42.

(3) *Histoire des études dans l'ordre de Saint François,* trad. par EUSÉBE DE BAR-LE-DUC, Paris, 1908, 308-312.

(4) *The Grey Friars in Oxford,* Oxford 1892, 140-142. Eiusdem: *The franciscan school at Oxford in the thirteenth century*: *Archivium franciscanum historicum,* 19 (1926) 839 ss.

(5) *Die Metaphysik des Thomas von York*: *Festgabe zum 60 Geburstag Clemens Baeumker* (Beitraege zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters) Munster i. W., 1913, 181-193.

(6) Vat. lat. 4301. Prius non cognoscebatur nisi codex Florentinus quem Felder et Little, post Sbaralea recensent.

riographi, uti Ueberweg et De Wulf (7), *Sapientiale* inter opera attentionem merentia inter tot tantaque huius magni scholasticae philosophiae saeculi enumeraverint.

Grabmann praesertim premit quoad methodum Thomae de Eboraco, eius distinctionem inter metaphysicam generalem et specialem, et characterem systhematicum totius operis; et quoad doctrinalem directionem notat eius evolutum aristotelismum, saltem quoad plures doctrinas et quoad amplissimam aristotelicam eruditionem. Haec autem pro amplissimo ac eruditissimo talis aetatis opere non poterat esse nisi quaedam necessaria praelibatio, quae appetitum intellectualem excitat profundiora amplioraque de eodem subiecto habendi. P. Minges, uti testatur Longpré (8), editionem huius ponderosi operis coeperat parare, sed pro dolor! ab hoc suscipiendo opere est morte praeventus. Interdum alium codicem *Sapientalis* adinvenit A. Pelzer in eadem Bibliotheca Vaticana (9) et quasdam non parvi momenti variationes inter ipsum et alium a Grabmann repertum notavit.

Nuperrime demum, quando praesens studium iam fuerat susceptum, nova et profundiora de Thoma de Eboraco eiusque opere praecipuo nobis dedit Longpré et ampliora promisit (10). Ipse partem historicam fere definitive, possumus dicere, evolvit; quoad vero partem doctrinalem, augustinismum Thomae de Eboraco praesertim instat et eruditionem amplissimam *Sapientialis* quoad opera philosophica tunc temporis in occidente nota. Et quod adhuc magis est, tabulam quaestionum seu indicem librorum et capitulorum *Sapientalis* edidit cuius character analiticus ideam sat exactam et amplam offert materiarum in eo contentarum.

Plura tamen adhuc desiderantur sive relate ad exactiorem notitiam *Sapientialis* prout in tribus hucusque notis codicibus continetur, et methodi Thomae de Eboraco in hoc opere conscribendo, quae alio in loco peregimus (11), sive demum determinationis eius directionis metaphysicae quae in praesenti labore aliquantulum evolvimus (12).

(7) Ueberweg-Baumgartner, *Grundriss der Gesch. der Phil.*, II, Berlín, 1925. — De Wulf, *Hist. de la Philos. medievale*, Louvain, 1925.

(8) *L'école franciscaine. Histoire partiale, histoire vraie*: *La France franciscaine*, 6 (1923) 112-113, nota 1.

(9) Est codex Vat. lat. 6771. Vid. Pelzer, *Les versions latines des ouvrages de morale conservées sous le nom d'Aristote en usage au* XIII *siècle*: *Revue Neoscolastique*, 22 (1920) 403, nota 2.

(10) Fr. Thomas d'York, O. F. M., *La première somme métaphysique du* XIII *siècle*: *Archivium Franc. Historicum*, 19 (1926) 875-906, cui adiungit tabulam materiarum: 906-930. Idem edidit 3 capita de mundi aeternitate: *Thomas d'York et Mathieu d'Aquasparta. Documents inédits sur le problème de la création*: *Archives d'histoire doctrinale et littéraire*, Paris 1926, 1, 268-308.

(11) *Entorn del "Sapientiale" de Tomas de York. Criterion*, 5 (1929), fasc. 1.

(12) Ad presentem laborem parandum tres hucusque notos codices continentes *Sapientiale* prae manibus habere potuimus. Eorum descriptionem invenies in nostro articulo superius adducto.

Necessitas studii manuscriptorum operum ineditorum, ut vera scholasticae philosophiae historia extrui possit, non est a me ponderanda post ea quae hac de re scripsit Card. Ehrle (13); et quidem praesertim quoad periodum antiquae scholae franciscanae, ab Alexandro Halensi ad Scotum.

Tempus praeterea activitatis philosophicae Thomae de Eboraco, quod cum primis scriptis S. Thomae et S. Bonaventurae coincidit, ac cum magna Alberti opera philosophica, cum qua non spernendas offert similitudines, magni momenti est quod illustretur, praesertim relate ad penetrationem librorum Aristotelis (14) et philosophorum arabum et iudaeorum in ideis scholasticorum. Hoc autem magnopere praestat nostrum *Sapientiale*. Et quidem praesertim pro Avencebrol, cuius influxus in scholastica, ac praesertim in tendentia augustiniana et franciscana non est adhuc aestimatus sicut meretur.

Sapientissimas, pro huiusmodi laboribus suscipiendis, a Card. Ehrle propositas normas (15) conati sumus quam fidelissime sequi. Sed quia pro toto perspiciendo *Sapientiali*, est enim, licet incompletum, opus amplissimum, tempus non suffecit, potiores ex metaphysica generali quaestiones selegimus quae totius metaphysicae directionem determinare iam possent; tales sunt quae de principiis entium agunt. His quaedam de theologia naturali adiungimus quae rationem procedendi in tota tractatione iam aliquo modo illustrant. Quibus addidimus adhuc praecipuas entis divisiones quas auctor noster considerat, illas nempe quorum unum extremum in Deo cadere potest. Sic putamus sat claram ideam quisque posse efformare de doctrinis in *Sapientiali* explanatis. Laborem definitivum neque quoad ea quae selegimus non putamus tamen effecisse, sed primam in hoc studio dignum opus, veluti introductionem tantum praelibasse.

Ut autem alios iuvare possit ad opus perfectius extruendum, fructus nostrae inquisitionis, publici iuris facimus *.

(13) *Nuove proposte per lo studio dei manoscritti della scolastica medicevale*: *Gregorianum*, 3 (1922) 200.

(14) Vid. Ehrle. *L'Agostinismo e l'Aristotelismo nella scolastica del secolo* XIII: *Xenia thomistica*, vol. 3 (1925) 517-525.

(15) *Nuove proposte per lo studio dei manoscritti della scolastica medioevale*: *Gregorianum*, 3 (1922) 213-215.

(*) Nota bene: Difficultas peculiaris exponendi doctrinas in *Sapientiali* contentas et a Thoma de Eboraco traditas in propria huius operis methodo quam descripsimus originem habet. Conabimur ergo sub constanti mole testimoniorum tot tantoque diversorum sapientum, mentem auctoris, quam fideliter possimus, proponere. Nomina ergo philosophorum inter expositionem insertorum originem praecipuarum propositionum indicant prout in *Sapientiali* ipso traduntur. Tempus non suffecit ut tantum numerum testimoniorum verificaverimus, ac locos omnes, prout in editionibus antiquis aut modernis inveniuntur, iudicaverimus. Plura tamen quae vidimus, et auctoris in illis reddendis exactitudinem et manuscriptorum rectitudinem valide attestantur. Capitula quae auctor noster adducit ex Aristotele, non cum Capitibus nostrarum editionum coincidunt, sunt enim illa numerosiora et ideo breviora quam nostra. Sic pro libro I *Physicae* auctor numerat quatordecim, dum in nostris editionibus numerantur octo. Sed nec cum textibus vel commentis Averrois coincidunt.

BQ 6890 Y. T.

I. DE NUMERO PRINCIPIORUM ENTIUM

Secunda pars *Sapientialis* continet methaphysicam generalem seu tractationem de ente ut est ens. Quamvis auctor specialem prologum de hoc, initio libri III et IV praemiserit, haec tractatio de ente, ut est ens, in II libro incipere dicenda est, et quidem post tractatum de Creatione qui potius ad complementum doctrinarum de Deo pertinet (1). Tractatus ergo de principiis entium, quem modo aggredimur, uti fundamentum et clavis totius Metaphysicae habendus est, quippe qui eminentem occupat locum quem in nostris modernis tractationibus doctrinis de actu et potentia reservamus. Ideo praecipuas doctrinas maiori cum attentione considerabimus ut sub testimonia sapientium, secundum quos Thomas de Eboraco doctrinas tradit, tendentiam, si non systhema, suae metaphysicae perspiciamus.

1. Dualitas principiorum

Prius autem quam principia entium in sua propria natura ac quidditate consideremus nonnullas praemittere debemus quaestiones introductorias de numero istorum principiorum. Cum autem in ipsis sive materia sive forma considerentur in genere sub aspectu principiorum entis et si eorum proprietates concrete determinantur hoc fit a Thoma de Eboraco sub solo aspectu physico, considerando nempe materiam privationi admixtam, haec sensim sine sensu lectorem *Sapientialis* manuducunt ad enucleationes de ipsis entium principiis stricto sensu metaphysicas quae nobis in sequentibus capitibus materiam analysis abunde praestabunt.

Quaedam sunt in his praeviis quaestionibus quas aggressuri sumus sat characteristica et propria ut mentem nostri auctoris in eius metaphysica synthesi elaboranda iam exinde perspectam habeamus. Conflictus, apparens tantum, inter dualitatem et trinitatem principiorum entis a Thoma de Eboraco

(1) Clarissime putamus innui in titulo toti secundae parti, in tabula capitulorum praefixo: "Sapiencialis huius secunda pars est de ente secundum quod est ens et divisionibus eius, nec non de principiis encium quae et qualia...". De principiis ergo agit omnium entium, licet pro more suo aliqua interserat de materia quae sunt considerationis physicae, ut ipse notat: "comprehenditur in libris 5, quorum 1us est de creacione et primis creatis rerum principiis, tam secundum speculacionem physicam quam metaphysicam..." (ibidem).

satisfactorie solutus, materiam abunde nobis praebet ut inter tot diversos auctores ex quibus tota doctrina eruitur, iuxtapositionem quamdam videamus, quam diversorum elementorum quae systemata scholastica omnino inter se pugnantia postea efformarunt. Haec elementa sunt elementa genuine aristotelica et elementa aristotelica quidem sed sensu neoplatonico satis colorata, quae scholastico augustinismo fuere valde cara. Inter haec elementa quaenam praevaleant nonnisi in subsequentibus capitibus Thomas de Eboraco nobis ostendet.

Dualitas principiorum entium creatorum apud Thomam de Eboraco, sicut apud omnes scholasticos, est fulcimentum maximum quo distinctio inter Deum et creaturas et pluralitas substantiarum stabilitur (2). Specialem merentur attentionem argumenta et determinatio talium principiorum. Primo determinat esse duo, postea quaenam sint ista duo declarat.

Principia, quibus tota rerum universitas primo constituitur, sunt plura. Hoc constat ex refutatione opinionum ponentium unum pricipium omnium; haec autem fit rationibus Aristotelis et Averrois desumptis ex 1° *Phys.* et primis libris metaphysicorum. In hac confutatione comprehenduntur tum opiniones loquentium *naturaliter* (id est physice), qui posuerunt unum principium mobile et finitum (Empedocles, Anaxagoras, etc.), tum loquentium *non naturaliter* (id est metaphysice) et ponentium unum principium infinitum immobile (Parmenides et Melissus).

Principia entium creatorum sunt duo. Indirecte ostenditur per expositionem opinionum ponentium plura principia; si enim plura posuerunt quam duo, aut benigne sunt intelligendi, uti Avencebrol (3) et Plato (4) et tunc eorum principia ad duo reducuntur, aut reiiciuntur si alia irreducibilia assig-

(2) Fol. 149 monet: "Ens possibile est multiplex et non unicum in numero sed in specie, aut genere, aut communitate quae est in ente, non enim omnia sunt unum sicud aliqui sapientes dixerunt, et manet perspicuum ex dictis in libro 2°, in sermone de principiis (entium)".

(3) "posicio vero Avencebron est racionabilis (ipse quadruplicem ponebat principium: materia, forma, voluntas, essentia prima; l. 1, c. 4) secundum ipsum oportet intendere per voluntatem verbum agens, nam per essenciam intendit substanciam creatoris in se absolute, per voluntatem ipsum in provisivis bonitatibus, cuius ramos primos in creacione ponit: formam et materiam; unde post harum scienciam non restat alia sciencia, propter hoc quod sciencie iste sunt fundamenta sapiencie et radices, quamvis rami eius sint mul tiplices sicut ipse idem ostendit" (f. 77 *vb* - 78 *ra*).

(4) Plato adducitur ponens tria principia, nempe: materiam, formam et efficientem, et tunc excusatur quod non posuerit privationem quia non ut naturalis, sed ut methaphysicus agebat, "privacio vero quae duo dicit carenciam formae et appetitum formae, primo modo sumsit et sic non enti aequiparavit" (f. 77 *va*). Sic Aristoteli omnino conciliatur qui etiam partim duo, partim tria posuit, similiter. Quando Plato ponit quinque principia, scilicet quatuor causas aristotelicas, addita exemplari, statim addit auctor: "secundum maiorem partem sapientum" veraciter ita sensisse ut ideas non poneret "alias in substancia ab opifice"; et sic Aristoteles "non impugnat eius intencionem sed sermonem" (f. 78 *ra*).

nantur ut est pro epicureis, et pro Leucippo et Democrito (5). Expositio harum sententiarum simul et confutatio potissimum ex Aristotele et Averroe desumitur.

Directe ostenditur dualitas et simul quaecumque pluralitas refutatur si sufficientia dualitatis stabiliatur, non enim entia sunt sine necessitate augenda (6). In sequentibus vero argumentis non tantum sufficientia, sed etiam necessitas dualitatis a priori demonstratur, et quidem talis dualitatis quae characteres induat materiae et formae.

Argumenta pro dualitate principiorum mutuantur Gundissalvio et Avencebrol et characterem neoplatonicum omnino prae se ferunt; ducuntur ex processione rerum a Deo et ex oppositione inter creatorem et creaturas. "Cum omne quod exit in esse exit aut per generacionem, aut composicionem aut creacionem, tunc necesse est quod principia exeant in esse per creacionem sicud habetur a Gundissalino *De Creatione,* c. 4, unde cum creator sit unitas, primus exitus principiorum ab eo erit in dualitate. Duo igitur erunt principia prima. Dualitas enim est prima species numerorum, secundum quod dicit Aristoteles et Averroz, 3 *Met.,* c. 11, et ideo ipsa immediate sequuntur unitatem: conveniens igitur est creacio primorum principiorum in dualitate" (f. 78 *ra*). "Preterea hoc ipsum aliter, ex diversitate creati a creatore, secundum quod eleganter prosequitur Gundissalinus in libro scilicet de creacione: creator, inquit, aliquod principium creavit; creatum omne a creante est diversum, cum igitur creator sit vere unus, profecto creatum non debuit esse unum. Sed sicud inter creatorem et ipsam creaturam nullum fuit medium, sic inter unum et duo nullum est medium; principium enim quod est diversum ab uno est duo, cum igitur creator sit vere unus, creatura quae primo ipsum sequitur debuit esse duo. In unitate enim non est diversitas sed in alteritate; primum autem principium alteritatis est binarius, qui primus ab unitate recedit. Unde si primum creatum unum esset, tunc nulla esset diversitas, si vero nulla esset diversitas, nulla esset quae futura esset rerum universitas: quapropter, sicud infert, duo simplicia ab uno simplici primum creari debuerunt, ex quo omnia constituenda erant, constitucio autem non potuit fieri nisi ex diversis, quare diversa esse debuerunt. Hanc rationem ponit Avencebron, l. 4 *De fonte vite,* c. 6, quare, inquit, creator omnium

(5) Hic etiam affertur opinio Empedoclis de lite et amicitia quas auctor reducit ad bonum et malum addens: "et haec posicio radix videtur esse opinionis manichaeorum" (f. 78 *ra*).

(6) Fol. 78 *ra*: "dico igitur imprimis, secundum Aristotelem 13 *De animalibus,* c. 5, quod ubi possibile est ponere unam radicem melius est ponere unum principium quam plura; quare a simili: ubi possibile est ponere duo, melius est ponere duo principia quam plura; melius enim est ponere pauciora quam plura sicut habetur ab Aristotele 1 *Phys.,* c. 9, natura enim paucioribus operatur cum potest, et ideo quod facere potest uno non facit duobus, secundum quod dicit Averoz super 11 *Met.,* c. ... Declarabo autem tibi in sequentibus quod duo sunt sufficiencia."

dicitur esse unus tantum, et creatum debet esse diversum ab eo..." (f. 78 *ra-b*). Eadem ratio inferius a Trismegisto desumitur (Ad Asclepium) et est ex ordine numerorum significante ordinem rerum: "reduccio autem multorum ad primum est sicud reduccio numerorum ad unum, et causa est secundum Algazelem *2 Met.*, c. 12, quia quidquid provenit a primo, provenit secundum ordinem, hinc ponebant sapientes, numeros principia rerum" (f. 78 *rb*). Sed ultimum ante unitatem est duo: ergo post unum duo. Avencebrol aliud adhuc addit praeter oppositionem inter creatorem et creaturam et est ratio exemplaritatis, quatenus nempe in omni creato debeat esse dualitas in principiis ut sit exemplum essentiae Primi Entis et proprietatis ipsius (AVENC. *Fons vitae*, l. 5, c. 23: ed. BEAUMKER, 299 ss.). Postquam haec protulit argumenta, concludit Thomas de Eboraco: "hiis igitur intendenti patere poterit quod tantum duo sunt principia prima, principia, dico, quae sunt per se principia ad quae et in quae reducuntur et resolvuntur omnia, nam omnia resolvuntur in ea ex quibus componuntur, sicud dicit Avencebron, l. 2, c. 16" (f. 78 *rb*).

Duo principia inventa debent esse potentia et actus, immo materia et forma. Primum ostenditur ex principiis Aristotelis et Avicennae quae excludunt ab unitate entis, constituentia quae alios habeant inter se mutuos respectus praeterquam potentiae et actus. "Ex duobus quorum utrumque est in actu, impossibile est fieri unum; nam actus dividit, sicud dicit Aristoteles 7 *Met.*, c. 17 *b*. Praeterea per id quod non est in actu, impossibile est ut sit aliquid, secundum quod dicit Aristoteles 9 *Met.*, c. 4 *a;* insuper omne possible esse, eget aliquo quod faciat ipsum esse in effectu, sicut dicit Avicenna, 1°, c. 13, quare impossibile est quod illa duo sint talia quorum utrumque est in actu, aut utrumque respectu alterius in potentia..." (f. 78 *rb*). Potentia et actus identificantur materiae et formae ex principiis desumptis ab Averroe *super* 1 *Phys.*, c. 12 *b* et Avicenna l. 9, c. 4 *c*: "possibilitas invenitur semper in materia"; "actus tribuitur formae"; additis aliis ex Avencebrol et Gundissalvio: "omnia ut sint indigent forma quae continet ac definit esse rei"; "forma sine materia subsistere non potest".

Alia plura argumenta quae afferuntur pro asserenda existentia materiae et formae veluti "principia omnium et radices" (f. 78 *va*) desumuntur ex Avencebrol, l. 4°, c. 6 (ed. BEAUMKER, p. 133 ss.), et l. 1°, 10-14 (ed. BEAUMK., p. 13 ss.); fere ad litteram, omissis dialogi interrogationibus. In his, ope principii superius allati: "quidquid compositorum intelligentia dividit et resolvit in aliud, est compositum ex illo in quod resolvitur" (AVENC. l. 2°, c. 16; ed. BEAUMK., p. 51) abstrahuntur diversae formae (color, figura, corporeitas, substantialitas, forma intelligibilis) donec perveniatur ad materiam universalem; vel etiam proceditur "abstrahendo et componendo formas cum materiis ut per hoc perveniatur ad esse materie universalis et forme univer-

salis" (f. 79 *ra*) e. g. a vegetali, ad inanimatum et ad quatuor elementa etc. Semper autem unicuique materiae propria respondet forma in resolutione intellectus, quia res non comprehenditur nisi finita, finitur vero per formam et sic ultimum est semper apprehensio generis et differentiae.

2. Trinitas principiorum

Declaravit hucusque Thomas de Eboraco "duo tantum esse principia prima, materiam videlicet et formam, secundum quod Plato, Aristoteles et alii sapientes confessi sunt" (f. 79 *ra*). Restat nunc positiones istorum sapientum concordare, nam Aristoteles 1° *Phys.*, c. 9, addit privationem quae a Platone neglecta est. Contrarietas tollitur eo quod Aristoteles loquitur de privatione solum, quando agit de principiis transmutabilium, Plato vero eam negligit, quia de entibus intransmutabilibus egit, sicut ipse Aristoteles in l. 7, *Met.*, de principiis substantiae agens, duo tantum ponit: materiam et formam. Haec solutio desumitur ex Averroe super l. 7, *Met.*, et ex Avicenna in sua Physica. Et ex ipsis auctor *Sapientialis* declarat privationem spectare ad generationem et mobilitatem quod pertinet ad peculiarem respectum sub quo materiam considerat naturalis et non philosophus, nam "uterque considerat materiam et formam, sed naturalis considerat de materia ut est principium transmutacionis, philosophus quidem de ea considerat secundum quod est substancia in potencia" (f. 79 *ra*). Propterea unum non excludit aliud.

Trinitas ergo principiorum considerari debet, ex quo materiae et formae addita est privatio. Haec enucleatur secundum modos eius per sermones praesertim Aristotelis, 1° *Phys.*, c. 8-10 et Averrois, ostendendo necessitatem et sufficientiam stabiliendi, ut generatio explicari possit, duo contraria principia et commune subiectum, contraria vero debent esse in substantia secundum formam et privationem.

In enucleanda doctrina de privatione Thomas de Eboraco (f. 81 *ra*-82 *ra*) non aliud facit quam verba exponere Aristotelis, adhibito indefectibiliter Averrois commento, minimas quasdam addens animadversiones Avicennae, Algazelis et Maimonidis. Aristotelis locos (ex 1° *Phys.* praesertim desumptos) coordinat, singulis respondens quaestionibus in titulo capitis indicatis (7).

Speciale meretur momentum responsio quaestioni prius motae (l. 2,

(7) Caput 14: "In manifestando quomodo privacio sit principium et quomodo non, et in quo est et in quo non, et quomodo et quomodo non; et de comparacione eius ad materiam et formam secundum convenienciam et differenciam; et quomodo tria principia et quomodo duo, et quomodo contraria et quomodo non, et quomodo ex ea fieri dicitur generacio."

c. 13, f. 80 *ra*-81 *ra*) cur privatio sit principium. Respondet Avicenna, 1° *Phys.*, c. 2 "ob perfectibilitatem omnis rei quae perficitur, quae dicit carenciam seu privacionem ulterioris perfeccionis, secus forma et perfeccio adessent in eo semper". Concordant Rabbi Moises c. 15, docens quod "si privacio materiae non adhaereret, non esset susceptibilis forme", et Aristoteles asserens quod generatum est dupliciter: ex subiecto et opposito. Reducitur, ergo, haec ratio ad necessitatem generationis qua res perficiuntur, induendo novas formas quibus privabantur, sed hoc non declarat *propter quid* et *quomodo* generatio fiat. Ideo addit statim auctor noster aliam rationem Aristotelis ex appetitu materiae ad formam: "Aristoteles vero et Averroz explicant hanc necessitatem per appetitum forme qui inest materie, sine privacione enim nec esset appetitus ad formam quam habet, nec ad quam non habet, et sic non esset generacio, quia hic appetitus est causa generacionis, et in tantum est in materia quatenus ei inest privacio" (f. 80 *ra*).

Sed Avicenna in sua ratione, de appetitu non loquitur quia illum non admittit in materia universali, hac ratione permotus, scilicet: quia materiae tribui non potest appetitus voluntarius, naturalis vero appetitus (sicut ille quo grave tendit ad centrum) supponit aliquam virtutem moventem quam ille tantum concedit materiae iam indutae forma aliqua, id est materiae particulari; nam cum hoc appetitu non explicaretur quod materia sit vacua ab omnibus formis, aut fastidiat formam quam habet, aut contenta sit formis quae perficiunt eam et faciunt eam speciem (f. 80 *rb*). Aristoteles, ergo, secundum Avicennam loquitur figuraliter de hoc appetitu et eius sermo non salvatur nisi de materia particulari.

Thomas de Eboraco e contra, ad litteralem Aristotelis interpretationem inclinat et ratiocinationem Avicennae evertit, extendens notionem appetitus: "Magis autem placet opinio Aristotelis in hac parte, nam non arctatur nomen desiderii ad modos illos tantum quos praemisit Avicenna" (f. 80 *rb*).

Est ergo appetitus naturalis qui inest omni enti per quem "secundum Boethium, 3 *Consolat.*, c. 21, omne ens desiderat permanere in esse" vel "secundum ipsum Avicennam, 8 *Met.*, c. 6, omnis res desiderat bonitatem seu esse". Sed bonum et esse et permanentia materiae in esse sunt in materia nonnisi sub forma et relate ad formam. Ergo materia naturaliter appetit formam

Hic autem appetitus qui ex sua origine aristotelicus est, induitur veste neoplatonica per Avencebrol qui eum materiae tribuit tamquam entium infimo in gradatione omnium sub causa prima unitatem imprimente in universarum rerum diversitate. Et sic in reliqua parte huius capituli afferuntur rationes Avencebrol (l. 5, c. 32 praesertim et 34, 35, 14), quibus magnopere effertur appetitus omnium ad assimilationem primae perfectionis et unitatis, divinae scilicet, quo omnia appetunt unionem et unitatem quippe quae omnia

vincit. Hic appetitus est motus inquietus quo materia incessanter movetur, et quidem magis vel minus iuxta maiorem vel minorem eius imperfectionem quae mensuratur secundum eius maiorem vel minorem elongationem a primo ente, scilicet Deo, unde provenit ipsi materiae necessitas mutandi formas ut quod non potest in una acquirat in alia. Nam secundum eamdem proportionem ad primum ens, formae sunt plures quanto elongatiores quia minus perfectae et etiam pluribus motoribus et pluribus transmutationibus indigent ut suam compleant perfectionem.

"Amplius secundum quod dicit Avencebron, l. 5, c. 32, omnia appetunt unitatem et propter hoc dicit in eodem, c. 35, quod haec est radix communis, quod unitas vincit omnia et est diffusa in omnibus et est receptrix omnium; et propterea omnia quae sunt, quaecumque sint diversa, appetunt unionem et convenienciam, sicud ipse dicit in eodem; est igitur unio et conveniencia in naturali desiderio materie et constat quod nonnisi respectu forme, quare naturaliter materia appetit formam."

"Praeterea perfeccio divina est huiuscemodi cui omnia encia appetunt assimilari et ex qua appetunt acquirere secundum quod natura eorum potest recipere, sicud dicit Averroz super 1 *Phys.*, c. 14 *b*, et propter hoc etiam materia appetit assimilari principio primo, sicud dicit in eodem. Et ideo dicit Avencebron, l. 5, c. 14, quod inquisicio et motus diffusus est in omnibus, videlicet ad factorem primum ad illum, enim, moveri, et ipsum inquirere, omnibus inditum est, licet differenter secundum diversitatem propinquitatis et elongationis. Unde, qui non possit sine medio adquirere eam, debet eam acquirere per medium ad quod naturaliter movetur propter extremum; et propter hoc, sicud ipse dicit c. 32, cum inter materiam et esse primum non sit similitudo propinqua, necesse est ut moveatur ad inquirendum lumen et splendorem eius hoc est formam quae creatur — forma dicitur lumen ab Avencebron — ex eo, ex quo patet sicud ipse dicit in eodem quod omnino motus materie ad formam non est nisi propter desiderium primi esse. Et causa est quam dicit Avicenna 9 *Met.*, c. 2 quod omne factum adquirit perfectionem a quo factum est; cum igitur sic sit eodem motu et appetitu quo movetur materia, assimilari pro sui possibilitate unitati prime increate, movebitur secundum creatam, hoc est formam. Est igitur ille appetitus forme in materia naturaliter, sicud dixit Aristoteles."

"Habemus autem summam divini Dionysii, *De Div. Nom.*, c. 4, de hoc quomodo appetunt bonum pulcrum unum, non tantum animata sed inanimata, non tantum encia sed non encia licet diversimode. Quapropter cum numeretur materia inter encia non est ipsa expers appetitus et desiderii cum, sicud dicit Avencebron l. 5, c. 32, quod omne quod est appetit moveri ut assequatur aliquid bonitatis primi esse. Secundum vero Gundissalinum *de Crea-*

cione, c. 9 materia dicitur desiderare formam quoniam esse materie est a forma, esse autem est in appetitu omnium" (f. 80 *va*).

Inferius adhuc prosequitur: "Harum autem quaestionum (scilicet quare materia mutet formas) solucionem nos docet Avencebron l. 5, c. 32 et 34 et est summa sermonis quod, sicud dictum est, appetitus naturalis est materie ad formam, nihilominus et materia diligit suum esse et permanere, sicud dictum est, et causam mutat et appetit formam post formam. Quare et haec mutacio et hic appetitus est propter suum esse et permanere, et racio huius sumitur et ex parte materie et ex parte forme et ex parte motoris. Ex parte materie secundum Avencebron, nam si ut dictum est perfectibile appetit suam perfectionem et esse primum in quo sit et permaneat secundum suum gradum, tamen differenter secundum diversitatem propinquitatis et elongationis; unde et motus quibus pervenitur ad hanc perfeccionem diversantur secundum diversitatem ordinum in propinquitate et elongatione, quia quo substantia fuerit propinquior esse primo, assequi bonitatem et permanenciam est facilius, quo remocior, eo difficilius; et ideo quod est multum remotum non assequitur eam nisi longissimo motu aut multis motibus. Unde quo magis in ordine esse ascendit eo fiunt pauciora motus et desideria et quo minus. Unde cum in ordine materiarum ea quae est substantia (s[a]) forme transmutabili sit de infimis, non poterit uno motu — hoc est desiderio — sibi adquirere perfeccionem et ideo necesse est ut hoc faciat pluribus."

"Similiter forma transmutabilis de multis formis est in generacione formarum, sicud postea dicetur tibi et ideo nulla (n[a]) una talis potest unica formacione hanc dare perfeccionem. Hinc necesse est ut materia mutet formas ut quod non potest in una adquirat in alia. Si autem in prima forma ultimam adquireret perfeccionem, sicud est in exemplo gravis cum suam adquirat ubitatem, non mutaret formam habitam sed staret in ea perpetualiter, sicud est in materia celi, prout inferius dicetur tibi" (f. 80 *vb*).

3. Materia privationi admixta

Quia in determinanda trinitate principiorum entium mentionem fecimus de privatione quae materiae et formae debet addi ut tertium principium in entibus transmutabilibus, breviter nunc videre debemus proprietates materiae etiam transmutabilis ut dispositionem *Sapientialis* sequamur et ita considerationem materiae sub respectu naturali absolvamus ut in sequentibus de puro respectu metaphysico loqui possimus.

Materia secundum modum naturalem est materia "prout ipsa mixta est privacioni, secundum quam consideracionem alias habet proprietates quas nomen materie non habet secundum quod in se consideratur sicud substan-

cia simplex" (f. 82 *ra*). Istae proprietates duae praesertim sunt: ipsa est una, et est bona.

Est "una materia prima omnibus formis transmutabilibus" (f. 82 *va*). Hoc ex natura generationis apud Aristotelem et Averroem (l. 1° *Phys.*) eruitur. Haec autem unitas quasdam movet quaestiones: "Averoz super 2 *Phys.*, c. 6, dicit quod haec materia quantum est de se est parata ad recipiendum duo contraria equaliter et quod non recepcio utriusque contrariorum est ei naturalis" (f. 82 *va*). "Sed cum sic se habeat res quod ipsa parata est essentialiter ad duo contraria et ipsa est utriusque potencia pura, sicud iam dictum est, quomodo movebitur ad unum illorum plus quam ad alterum, cum non moveatur per eleccionem et iudicium?" (ibidem). "Temptabo igitur imprimis hanc tibi explicare difficultatem, et ponam ad hoc proposiciones quarum prima est haec: quod materia non movet seipsam, hoc enim verbum dixit Aristoteles prout dicit rabbi Moyses c. 75, et sequitur ex proposicione per se nota: quod omne quod exit de potencia in effectum exit per aliquem motorem qui est extra ipsum. Nunc autem materie est esse in potencia, sicud dicit in eodem; quare indiget motore" (f. 82 *va*). Postquam similes propositiones ex Maimonide et ex Aristotele et Averroe (7 *Met.*, c. 13) eduxerit Thomas de Eboraco prosequitur: "Quapropter, sequitur quod quamvis sit deparata ad contraria equaliter, quia tamen in ipsa est principium transmutans ipsam ad alterum contrariorum, propterea movetur ad ipsam per transmutantem et ideo non est casualis generacio. Quid autem sit ille transmutans dicetur tibi in sermone quam faciam de transmutacione (8)" (ibidem). Quomodo autem initio se habuerit haec determinatio materiae et appetitus eius ad formam, inferius declarat: "dicam tibi ad praesens quod sive mundus sit antiquus, sive novus, sive materia fuerit eterna, sive non, numquam nihil ad momentum temporis fuit sine forma; similiter nec materia transmutabilis fuit sine privacione. Quapropter ab inicio fuit appetitus in materia ad formam cujus habuit ab inicio privacionem, eciam ab eterno si ab eterno fuit materia, non (corrige: nos) autem qui ponimus materiam ex tempore necesse habemus dicere materie transmutabili, hoc est omnibus rebus mutabilibus communi, concreatam esse formam transmutabilem, sicud dicit Avencebron, l. 5, c. 34; unde cum appetitus forme insit materie ex privacione, sicud supra dixit Aristoteles, manifestum est quod ab inicio habuit materia desiderium ad formam. Sed in hoc differt posicio christianorum a posicione Aristotelis et philosophorum, sicud manifestat rabbi Moyses, c. 98, quod hunc appetitum dixerunt philosophi eternum per successionem formarum et ipsum adscripserunt naturali necessitati, christiani autem dicunt ipsum ex tempore et attribuunt ipsum creacioni. Quidquid enim sit de formis consequentibus, ponit sapiencia chris-

(8) Tractatus de transmutatione in Sapientiali prout nunc restat incompleto, non invenitur.

tianorum quod prima formacio materie fuit a solo datore videlicet Deo, secundum rabbi Moyses, c. 139 b.; et secundum quod dicit Augustinus super *Genesim*, l. 2, c. 8 *a*, quod Deus est creator et formator materie quae precedit suam formam, non tempore, sed origine; Avicenna vero et Algazel videntur dicere quod appropiacio materie ad formam sit ei ab intelligencia, sed de hoc audies postea in sermone de forma" (f. 82 *va-b*).

Adhuc alia remanet quaestio: "unde est diversitas in entibus cum ipsa (materia) sit una contrariis", Respondetur cum Aristotele per rabbi Moisen c. 98: ex commixtione elementorum quae diversam naturam sortiuntur ex diversitate loci respectu coeli. Ampliora tamen promittit auctor in tractatu de elementis quem non potuit in *Sapientiali* includere.

Materia, denique, etiam haec transmutabilis, bona est quia a Deo est. Hoc autem probat Thomas de Eboraco argumentis Augustini (*Sup. Genes.* l. 1, c. 5; l. 7, c. 2; l. 8, c. 11) quibus Deus demonstratur auctor materiae quia est auctor formae, porro materia non est nisi capacitas formae. Etiam quia materia aliquo modo est (August., *De vera religione*): "omne formabile aliquo modo est, quod enim non est, formabile non est; cum, inquit, omne tale aliquo modo est, materia quae talis est, ab eo est qui essentialiter est: est igitur materia a Deo" (f. 83 *ra*).

"Materia igitur, etsi bona, tria tamen operari dixerunt sapientes mundi, videlicet: errorem, corrupcionem et maliciam" (ibidem). Haec ergo tria declarantur secundum Maimonidem (c. 137, 139, 141). Nempe: materia est causa corruptionis et mortis quia habet admixtam privationem. Hoc omnibus in comperto est, sed Avicenna et Avencebrol addunt, etiam ablata privatione materiam esse causam corruptionis, forma enim est causa unitatis et vitae. Est causa mali sive culpae sive poenae, et quidem sive corporalis sive etiam spiritualis, unde omnia mala nobis sunt propter materiam, bona autem propter formam. De poena, seu malo physico, nulla difficultas est, siquidem in suo ordine non est malum aliquod sed bonum, unde dictum Averrois in prologo super l. 8 *Phys.* "cum aliquis acquisierit perfectionem humanam, percipiet in illa hora quod melior est illi mors quam vita" (f. 83 *ra*). De culpa vero quaestio solvitur tribuendo materiae rationem occasionis, et nullo modo causae sicut platonici peccaverunt in hoc secundum Augustinum (*De Civit. Dei*, l. 14, c. 4). Et hoc sensu accipit auctor noster sermones Avicennae dicentis "l. 1, setentia 3, doctrina 2, c. 3 quod sicud mali mores inducunt maliciam complexionis, ita malicia complexionis inducit malos mores" (f. 83 *vb*). Si autem interrogatur cur ergo Deus nobis dedit "hylem" cum sit talis mali occasio, respondet Thomas de Eboraco per "principium nobile Algazelis, 5 tractatu Metaphysice, c. 4, quod ubi solum est bonum et malum, bonum est vincens maliciam, alioquin non permittet creator bonum esse" (ibidem). Ma-

teria igitur homini data est ut comprimat et compescat sensualitatem et in summa propter augmentum meriti.

In fine verbum addens de necessitate materiae in naturalibus, docet cum Aristotele et Averroe (l. 2 *Phys.*) eam esse ex fine. Unde se habet contrario modo ac in doctrinalibus, in his enim finis est ex necessitate principii.

In tradita doctrina de numero principiorum, sive quoad dualitatis determinationem, sive quoad munus privationis explicandum, sive demum in tradendis proprietatibus materiae transmutabilium apparet ex dictis praedominans praesentia elementorum genuine aristotelicorum quae tamen quoad quaedam (directa determinatio dualitatis, appetitus materiae ad formam) per Avencebrol colorantur neoplatonico sensu, mysticam tendentiam favente, qui quidem augustinianae directioni metaphysicae valde cohaeret (aequiparatio potentiae et actus ad materiam et formam) et quem in sequentibus magis adhuc evolutum visuri sumus.

II. DE MATERIA SECUNDUM MODUM METAPHYSICUM

Quaestiones nunc aggredimur quae totum *Sapientialis* pondus portare dicendae sunt quippe quae totum opus Thomae de Eboraco pervadunt. Ipsum enim revera habetur uti maxima Summa metaphysica sui saeculi quia omnes Metaphysicae generalis quaestiones abunde pertractat et plures etiam quae ad Metaphysicam specialem attinent: iamvero inter omnes metaphysicas quaestiones locum omnino primarium promerentur quae ad conceptus potentiae et actus scientifice determinandos sese referunt; nunc autem quae apud modernos potentiae et actus nomine veniunt apud auctorem nostrum materia et forma vocantur, ideoque stricte uti entium ultima principia considerantur.

In praesenti capite quaestiones attinentes notionem et naturam materiae perpendimus una cum capitali disputatione de materiae communitate seu universalitate in omnibus entibus creatis. Sicut in praecedenti capite inter tot adeoque diversa testimonia sapientum, coniunctionem vel melius iuxtapositionem diversorum elementorum in synthesi nostri auctoris detegere potuimus, nunc iam praevalentiam doctrinarum et principiorum quae sic dictum "augustinismum" in antiqua scholastica fundant ac determinant, clare perspicimus. Haec principia prout e suis fontibus genuine promanantia in *Sapientiali* exhibentur. Simul autem — quod adhuc notabilius est — principia metaphysica quae tendentiam scholasticam augustinismo toto coelo adversam duce Sancto Thoma fundarunt, in suis antiquis fontibus apud Thomam de Eboraco proponuntur et considerantur, immo ad augustinismi placita auctor noster ea trahere conatur.

Quid hoc conferat ut melius origines istarum Medii Aevi tendentiarum discernantur nemo est qui non videat.

1. Quid sit materia

Materia secundum modum metaphysicum est materia praeter privationem, in se considerata, ut constituens cum forma substantiam creatam. Si materia physice considerata est "principium transmutabilium" uti vidimus, materia metaphysice inspecta erit simpliciter "principium entium". De hac valde diffuse sermo fit octo capitibus (17-25) libri secundi nostri *Sapientialis*

Momentum simul ac difficultas hujus tractationis ex sermonė introductorio elucet, ubi Thomas de Eboraco non brevem indicem quaestionum tradit, difficultatem earum premens et necessitatem (9). Ideo recitans verba Avencebrol (l. 5, c. 1 ; ed. Beaumker, p. 258 ss.; l. 5, c. 35, p. 322) praeparationem quamdam mysticam inculcat "qua transcendamus sensibilia et per has duas portas clausas intelligencie (materiam et formam) intrare possimus ad ultimum finem et ad spirituale divinum delectabile quod est circa voluntatem primam et perfectam, quo, cum pervenerit, quiescit motus eius et durat delectacio, sicud eleganter prosequitur Avencebron" (f. 84 *ra*). "Stude ergo et ama (prosequitur cum eodem, l. 3, c. 5-7 : ed. Beaumker, p. 205) quia haec est intencio propter quam est anima humana, et delectatio maxima" (ibid.).

Ut rem totam, magis synthetice perspectam habeamus, colligemus nunc quae ad conceptum materiae explanandum directe conferunt ut postea quaestiones praecipuas de materia consideremus.

Dum iterum memoramus methodum propositumque auctoris doctrinas explicandi "secundum sermones sapientum", frequentissimam observamus adductionem testimoniorum Aristotelis (quam maxime per expositorem suum Averroem) et Avencebrol quibus adduntur non pauca ex Augustino, Platone et Gundissalvio, aliis minoris frequentiae non omissis. Hoc jam nobis suadet maximam forte quam Thomas de Eboraco in his tractandis habere debuit dif-

(9) "Postquam autem praemisi ista de principiis secundum consideracionem physicam, temptabo nunc loqui de eis philosophice; omissa igitur privacione loquar de duobus: materia scilicet et forma secundum modum metaphysicum quamvis et hoc sit difficile et tamen necessarium ad scienciam creatoris et creatorum... Propterea conabor secundum sermones sapientum aliquid de his explicare, et primo de materia quia ipsa prior est origine, sicud postea dicetur, secundo de forma, tercio de coniunccione utriusque. De materia vero primo tractabitur prout habet esse absolutum in se; secundo prout habet comparacionem et respectum ad alia. Et de ipsa in se quoad eius substanciam, virtutem et operacionem, sicud est possibile haec tria reperire in materia. Et de essencia eius dicetur quid sit ipsa secundum rem et quid secundum nomen et quid secundum diffinicionem, hoc est descripcionem. Quod si aliqua aliunde (i alu) necessitatis exigencia commisceantur, prudens lector videat et discernat quid ad quem modum reduci debeat. Loquar igitur, cum adiutorio Dei, de materia prima universali, quoniam multum est illustrari umbra eius, propter quod dicit Avencebron..." (f. 84 *ra*).

ficultatem fuisse in coherenti declaratione omnium notionum, divisionum et proprietatum materias secundum dicta tot diversorum philosophorum, qui tamen omnes afferuntur indiscriminatim quasi de materia veluti de eadem re subque eodem conceptu loquuti essent. Idipsum eademque de causa nobis non parum obest ut mentem eius perspiciamus ad diversa plerumque promiscue sese vertentem.

Nomina fere semper metaphorica quibus sapientes supradicti appellarunt materiam in sua sat magna varietate exponuntur et explicantur (10). Et iuxta varietatem nominum tradit similiter Thomas de Eboraco descriptiones quas ipsi sapientes dederunt de materia (numerantur 24) inter quas non deest celebrata illa ab Aristotele prolata: materia non est quid, neque quantum... quam Thomas de Eboraco explicat materiam intelligens ut ens in potentia ad omnes formas ideoque nullam habentem. A Platone describitur: ens summe vicinum non enti, medium inter aliquod et nullum. Similis descriptio datur ab Averroe: medium inter esse in actu et non esse simpliciter (8 *Met.*, c. 9 *d.*) quatenus scilicet per formam tendit ad esse in actu, privata vero a forma, tendit ad non esse simpliciter. Ab Augustino describitur: informitas et capacitas omnium formarum, a solo Deo formatam et nullam habens formam (*Contra Faust.*, 20 *d.* et *Ad Diosc.*, *ep.* 38). Ab Avencebrol, tandem, habetur ut aliquid per se existens, non tamen in se sine forma, nisi in intellectu; est sustentatrix diversitatis, dans omnibus essentiam et nomen (l. 1, c. 11 et 12; l. 5, c. 22 et 23) (f. 87 *va*).

Jam magis determinatur essentia materiae. Materia praeter formam, in se est aliquid (11) (Augustin.) quia Deus fecit eam: ergo aliqua natura est. Ipsa, privata a forma, hanc appetit (Gundiss., *De creatione*, c. 10): ergo praeter formam, aliquo modo est. "Est substancia, essencia, natura, sicud dixit Augustinus" (f. 84 *rb*).

Non tamen est actu "quia esse dicitur communiter in actu, et hoc non convenit nisi composito, ideo hoc non habetur in materia nisi coniuncta formae". Sed potentia: "Sed quia compositum est ex potentiali et actuali, ideo attribuerunt non esse materiae in se." Et ideo dixit Plato esse mediam inter aliquam substantiam et nullam quia est potentia tantum seu aptitudo ut ex ea per generationem fiat aliquid (Gundissalv.). Potest separari a forma se-

(10) Sic, e. g., nomina platonica: mater, nutrix, gremium informe corporum, et Augustini eam vocantis: noctem, terram, aquam, abyssum... et comparationes Aristotelis (foemina, quia appetit formam) et Maimonidis eam assimilans mulieri vagae et coniugatae et Avencebrol eam comparans vasi pigmentario proprio odore privato et libro aperto sed non scripto, cathedrae sine sedente, voci sine intellectu... et appellationes Avicennae et Gundissalvii scilicet: hyle, subiectum, elementum, origo, substantia, carentia etc.

(11) "Oportet imprimis te intelligere quod esse materie non solum est in respectu et dependencia ad formam secundum veridicum Augustinum contra adversarios legis et prophetarum ipsa materia simpliciter quamvis informis dicta, in se non nihil est, immo praeter omnem formam aliquid est, non distincta secundum esse sed secundum racionem seu diffinicionem" (f. 84 *ra*).

cundum definitionem (Aristoteles et Averroes, 1 *Phys.*, c. 2; 2 *Phys.*, c. 2): "Materia ergo est aliud intelligere a forma non secundum esse sed secundum diffinicionem" (f. 84 *rb).*

In se considerata materia est substantia id est aliquid pertinens ad ordinem substantialem. Hoc Thomas de Eboraco probat pluribus rationibus Aristotelis inter quas etiam ex diversitate substantiarum aliquo modo fundata in materia. "Ceterum si materia non esset substancia non esset aliqua diversitas in substancia, et causa est quia per solam formam non fit diversitas nam forma non dividitur 7 *Met.*, 13 *f* et materia numerabiliter est sicud dicitur *Phys.* t. 1. Ut igitur sit diversitas in substancia necesse est ponere materiam substanciam. Hanc racionem ponit Aristoteles sicud dicunt aliqui in illis verbis cum dicit in principio capituli 7: si materia non fuerit substancia non est aliud, hoc est aliqua diversitas substancialis. Verum secundum Aristotelem ille raciones in quantum concludunt quod sola materia sit substancia vel magis substancia quam forma non concludunt, tamen in quantum quod ipsa sit substancia non accidens, in hoc concludunt, sicud patet intuenti" (f. 84 *va).*

Materia in se est aliquid praeter formam et praeter omnia quae sunt post materiam. "Habito igitur quod materia sit aliquid in se praeter formam et substancia[m], sequitur nihilominus ex una praedictarum racionum secundum Aristotelem et Averoz quod essencia materie est aliud ab essencia eorum quae sunt post ipsam. Nam cum nulla forma aut privacio forme alterius sit in ea essencialiter, sicud dicit ibidem Averoz, et ex forma pendet essencia eorum quae sunt post materiam, immo ipsa est essencia rei, sicud dicit Avencebron, l. 5, c. 9 et sicud declarabitur infra, manifestum est quod materia secundum primam et absolutam considerationem essencialiter est ab hiis quae sunt [post eam]" (ibidem).

Proprium esse quod habet materia est esse in potentia per quod existit in Deo qui habet de materia propriam ideam secundum quam eam creavit. "Et cum sic sit, sequitur ex antea dictis quod cum ipsa in se sit essencia vel substancia praeter formam et ea quae sunt, quod ipsa in Deo habet ydeam propriam [secundum diffinicionem] ydee quam ponit Seneca ad Lucilium, ep. 60: ydea, inquit, est eorum quae fiunt exemplar eternum; cum igitur materia a creatore facta est essencia aliqua necessarie in deo habet exemplar eternum, hoc est ydeam. Omne enim factum per verbum est in illo vita creatrix sicud dicit Augustinus *super Genesim* 2, c. 2 et causa est quam dicit Avencebron l. 5, c. 10 quod materia habet esse in sciencia eterni, excelsi et magni eciam non composita cum forma. Quare praeter omnem formam habet in Deo ydeam. Et declarat idem manifestius in eodem capitulo per hoc quod materia habet esse in sapiencia Dei, sicud est, cum igitur habet esse praeter formam sicud probatum est: igitur habet esse praeter formam in sapiencia Dei; quare et ydeam. Huic consonus est sermo Gundis-

salini, *De creacione,* c. 10, dicens quod esse materie quod habet per se, hoc est in potencia, est illud esse quod habet in sapiencia creatoris, et hoc esse in sapiencia creatoris est sicud esse intellectus de materia in anima mea quod etsi privatus est apud te non tamen privatus est apud me. Habet esse igitur in sapiencia creatoris: quare habet ydeam" (f. 84 *vb*).

Specialius adhuc declarat cum Augustino: "est ipsa substancia quae est capacitas forme". Gundisalvius vero eam dicit: possibilitatem essendi "quia hic modus essendi est medius inter esse et non esse" (ibid).

Haec sunt quae auctor voluit dicere "in principio, de simplici essencia materie". Si autem quaeratur qualis sit haec essentia duplicem dat Thomas de Eboraco responsionem: materia nullam habet formam propriam; non tamen debet dici privata, sive privatio.

Materia nullam habet formam propriam quia si haberet, nullam posset recipere. Est argumentum Aristotelis et Averrois per quod notat auctor, probari ab Aristotele intellectum possibilem nullam habere formam materialem. Non semel comparatur in *Sapientiali* materia prima huic intellectui possibili secundum hunc respectum et haec comparatio ab Aristotele et etiam ab Avencebrol desumitur (12). Huic testimonio Aristotelis additur aliud Augustini (*Contra Faustum,* l. 20). "Materia est nullo prorsus modo formata sed omnium formarum capax" (f. 85 *ra*). Eiusdem etiam illa ratio affertur de positione extremorum in gradatione entium, quia scilicet, primum est pura forma sine ulla materia, ideo infimum erit pura materia sine ulla forma.

Et quia forma dat esse in actu, ideo materia praeter formam est privata ab esse in actu. Non tamen ab esse in potentia (Avencebrol, l. 5 c. 9 et 10, et Gundissalvius *De creatione* c. 10 qui hoc esse *in potentia* dicit esse *in se*). Quare materia non est privata absolute, nec absoluta privatio, quia haec non potest exire in esse. Sed est aliquid medium inter esse et non esse. Quomodo autem hoc explicari possit non satis clare ab auctore eruitur qui postquam dictum Augustini "prope nihil" (*Super Genesim* c. 15; *Confess.* c. 12 *a*) et Averrois et Platonis retulerit et Gundissalvii appellantis "possibile esse seu esse in potentia" hoc medium inter esse et non esse, tandem affert "ymaginacionem Avencebrol" de tenebrositate aeris ut dicat in hoc esse intermedio coniungi tandem aliquando esse et non esse. Nimirum: forma dat esse coniuncti quod communiter dicitur "esse", sed praeter hoc, materia habet esse proprium quod non est ei a forma, et hoc dicitur componi ex esse et non esse (f. 85 *rb*).

Aliae tandem proprietates, nempe quod materia nec est in loco nec in

(12) Materia est unum secundum subiectum, multa secundum formas quia est in potentia ad omnes formas "per illam viam qua intellectus possibilis dicitur omnia quia omnes formas potest recipere, sicud ostendetur tibi in sermone de intellectu... Iam enim dixit Averoz similitudinem magnam inter intellectum possibilem et materiam super 1 *Phys.*, c. 12, quamvis magna [sit] inter eas differencia, sicud postea dicetur" (f. 86 *vb*).

tempore, nec generabilis nec corruptibilis etc., ex Aristotele et Averroe una cum Avencebrol potissimum declarantur.

2. Communitas materiae

Prima quaestio notionem materiae adhuc aliquo modo intrans, est in conciliandis assertis Aristotelis dicentis materiam esse unam numero et communem multis. Haec cum Averroe intelliguntur a Thoma de Eboraco de esse *in potentia*, "non enim potest intelligi de esse in actu" (f. 86 *rb*). Eius communitas est pura privatio et ablatio formarum, non ergo sicut genus quod habet communitatem mediam inter potentiam et actum. Eius vero unitas duplex est: una praeter omnem formam, altera ex forma "nam sicud non habet esse nisi per formam ita nec unitatem" (f. 86 *va*). Prima intelligitur in potentia, altera in actu existendi; et sic solvitur apparens contradictio inter Aristotelem et Avencebrol, hic enim dicit materiam non unam esse quia separat "et ideo indiget unius (nempe formae) ut sit una" (*ibid*).

Sed tunc quomodo est una in potentia, cum sit in potentia ad omnes formas seu habeat omnes potentias? Respondetur cum Aristotele et Averroe esse unam secundum subiectum, multa secundum formas. Sed "qualiter potencie insunt materie, an secundum se, an in relacione ad formas, non est ita planum, sed iam patebit hoc tibi per proposiciones quas ponam Aristotelis et Averrois super hoc" (f. 86 *va*). Propositiones istae ex 1 *Phys.* et 11° (nostro 12° respondente) *Met.* desumptae, determinant potentias esse per relationem ad formas, et sic materia potest esse una et aequaliter disposita ad formas contrarias. Numerus et ordo potentiarum est secundum ordinem formarum ita ut materia recipiat potentiam primo ad formam primam, dein ad formam elementorum, et mixtorum etc. (13). Per istas potentias materiae non videtur auctor *Sapientialis* aliud velle significare quam formas esse in potentia in materia.

Quoniam materia et forma semper mutuo sibi correspondent, hinc divisiones materiarum sunt secundum divisiones formarum. In tradendis divisionibus materiarum Thomas de Eboraco diversas diversorum sapientum enumerat et ultimo loco exponit hierarchiam materiarum Avencebrol, quae respondet hierarchiae formarum. "Similiter patet quinaria divisio materie secundum Avencebron, l. 2, c. 2 ubi dividit materiam in materiam particularem naturalem et materiam universalem naturalem et materiam universalem celestem et materiam universalem corporalem et materiam universalem spiritualem. Unde secundum eumdem ibidem, materia particularis na-

(13) Has formas recipit non ut universales sed ut communiores, universale enim ut tale non est nisi in anima. Sic notatur in fine.

turalis subsistit in materia universali naturali, et haec in materia universali celesti, et haec in materia universali corporali, et haec in materia universali spirituali; materia quae superior sustinet inferiorem, ut spiritualis corporalem, et corporalis celestem, et celestis naturalem universalem, et naturalis universalis naturalem particularem, materia enim universalis est quae continet particulares. Et harum materiarum semper inferior est extremum superioris et ideo per cognicionem inferioris pervenitur ad cognicionem superioris... Si vero contra hanc quinariam, naturalem dividamus contra materiam artificialem, habebimus senarium numerum in quo stat divisio materiarum quae secundum diversas particiones habet diversas proprietates, secundum quod in singulis membris habet diversas formas quas advertere et discernere prudenciori relinquatur lectori" (f. 88 *va*).

Ex diversitate materiae ducitur Thomas de Eboraco ad tractandam quaestionem de universalitate eius. Quaestio non parvi momenti, tunc temporis valde agitata et quae de directione totius metaphysicae decidit, siquidem sequelae eius ad extremas metaphysicae partes extenduntur. Momentum non parvum ei tribuit noster auctor, duo in ea tractanda insumens *Sapientialis* capita (l. 2, c. 22 et 23) in quibus magnum protendit apparatum sapientum auctoritatum et rationum pro utraque parte. Difficultas pro auctore nostro huius quaestionis elucet ex verbis quibus eam introducit et ex aliis quibus solutionem proponit (14).

Pro utraque parte adsunt testimonia sanctorum et philosophorum, seu sapientum Dei et mundi (15). Immo aliqui sapientes, praesertim philosophi, pro utraque parte afferuntur, quippe qui varie circa praedictam quaestionem loquuti sunt (16).

Materiam esse in omnibus suadent testimonia Joannis Damasceni et Augustini (*De mirabilibus divinae Scripturae* — non genuinus; — *Super Genesim; Confess.* 12; *De lib. arb.* 1°; *De civitate Dei; De Trinit.*)

Materiam abiudicant ab angelis et anima humana Ps. Dionysius (*Ang. Hier.; De div. nom.*) et "eius expositor, in libro scilicet *De Sacramentis* 1ª, parte 5, c. 6 vel 7", nempe: Hugo a S. Victore.

(14) "Verum cum sic diversificetur materia, sicud iam dictum est, non enim certum si una sit communis materia omnis, propter hoc in capitulo isto temptabo illam explicare difficultatem auctoritates imprimis ad utramque partem praemittendo" (f. 88 *va*). In fine vero aliqua dicit "per quae videtur tolli haec contrarietas, an tamen ad hoc sufficiant, lectori relinquatur prudenciori" (f. 90 *rb*).

(15) "Quod igitur sit una materia communis omnibus non tantum corporalibus sed eciam spiritualibus utpote intelligenciis et animabus, videtur multis ostendi non tam sermonibus sapientum mundi, [sed] et sapientum Dei" (f. 88 *va*). "Contrarium autem huius videtur esse persuasum non tantum professoribus sapiencie mundane, sed divine" (f. 90 *ra*).

(16) "Adiungam igitur hiis quae premisi de sermonibus sanctorum, dicta philosophorum varie circa praedictam quaestionem loquencium. Igitur quod omnia que sunt praeter primum habeant materiam, aliquo modo videtur multis primo per Aristotelem 2 *Met.*, c. 8, secundum quod exponit ipsum Averoz..." (f. 89 *rb*).

Boethius in libris *De Trinitate* et *De hebdomadibus* adducitur pro universalitate materiae, in libro vero *Contra Nestorium* pro parte negante. Philosophi fere omnes, nempe: Aristoteles et Averroes, Avicenna et Algazel pro utraque parte afferuntur; Avencebrol vero et Gundissalvius in sola prima parte manent.

Licet auctor praemoneat rem non esse adhuc certam et argumenta ad utramque partem velle afferre additis postea aliquibus per quae concordia possit instaurari, tamen eius positio nullo modo quasi neutralis dicenda est, sed omnino pro asserenda universalitate materiae deflectit. Quod iam in ipsa expositione videre est ubi argumenta pro hac sententia coacervat multo plura (in codice Vat. lat. 4301 numerantur in margine rationes 28 pro universalitate materiae, pro altera vero opinione 15) quam pro contraria parte. Horum autem argumentorum pro tuenda universalitate materiae in omnibus creatis plus quam dimidia pars est ex Aristotele cum Averrois expositione desumpta. Tamen fatetur Thomas de Eboraco quod pro contraria parte Aristoteles "concordare videtur in pluribus locis una cum aliis sapientibus" (f. 90 *ra*).

Quoad sanctos et theologos quos primo loco affert, iam apparet primo intuitu magnum discrimen. Nam pro universalitate materiae auctoritatem affert Joannis Dammasceni et auctoritatem non tantum, sed argumentum praecipuum Augustini et Boethii. Dum pro altera parte sola testimonia adducit Boethii, Ps. Dionysii et Expositoris eius, scilicet Hugonis a S. Victore. Isti duo dicunt angelos nullo modo materiam habere sed esse totos lucem et vitam, ubi non diversificatur quod vivificat et quod vivificatur, Boethius vero, *Contra Nestorium,* communitatem tantum materiae negat inter corporea et incorporea cum dicat: "corporea et incorporea nulla ratione poterunt permutari quia nulla communi subiecta materia participant" (f. 90 *ra*).

Distinguenda sunt pura testimonia auctoritatum et rationes quas vel ipsi sapientes afferunt vel desumuntur ex ipsis. Hoc autem sane notatu dignum observamus in tota hac characteristica quaestione, scilicet: pro negando principio materiali in entibus spiritualibus adesse clara testimonia Ps. Dionysii et Expositoris eius et Aristotelis et Averrois in pluribus libris Metaphysicorum, praesertim vero in libro 12, ubi de substantiis abstractis et de intellectu qui remanet post compositi corruptionem dicit esse formas immateriales "ut nihil sit ei in potencia cum sit pura forma, quare secundum hoc nullo modo habet materiam secundum esse" (f. 90 *rb*). Similiter et Avicennae qui "l. 3, *Met.,* c. 8 dicit manifeste quod substancie separate, sunt per se spoliate a materia et apendiciis eius et propter hoc sunt per se intellecte; unde ad intelligendum eas expoliari, hoc autem non videtur esse posse si alio modo habuerunt materiam: quare sunt immateriales. Idem autem, l. 4, c. 3 dicit quod perfeccio intelligencie talis est quod ei non commiscetur aliquid potencie quare nec materie. Praeterea, l. 9, c. 4 dicit quod primum

creatum est forma non materialis omnino, scilicet intelligencia et quod est essencia et quidditas et unitas non in materia sed intelligencia pura; et iterum quae primo sunt a primo non sunt multa divisione quae est in materiam et formam" (*ibidem*). Et etiam Algazelis qui "tractatu 5, c. 2 dicit naturam quae non eget materia ad permanendum nec incipiendum impossibile multiplicari et species eius una est numero nec multiplicari differenciis aut materiis aut accidentibus. Idem, tractatu 4 in fine, dicit ubi probat intelligencias nudas et diversas esse species et non plura numero propter privacionem materie, quia quod non est in materia si multiplicetur non multiplicatur nisi propter diversitatem speciei. Idem autem, l. 1° *Met.*, c. 1°, dicit quod quaedam sunt quae impossible est esse in materia sicud Deus et essencia angelica; si dicas materiam angelicam quoad aliquid esse materialem et quoad aliquid non, occurrit sermo Avicenne 5 *Met.*, c. 2 quo dicit quod impossibile est eamdem materiam esse materialem et immaterialem" (*ibidem*). Quibus expositis auctor concludit: "hiis autem et consimilibus videtur quod materia quae dicitur prima non est communis omnibus creatis sed quibusdam" (*ibidem*).

Pro altera vero parte, scilicet pro asserenda universalitate materiae, non adducuntur nisi testimonia Augustini, praeter Joannem Damascenum, asserentem solum Deum esse immaterialem et incorporeum, quia solus simplex. Ex aliis omnibus, praesertim ex Boethio et Aristotele et ex Avicenna et Algazele argumenta conficiuntur indirecta ex principiis metaphysicis istorum quibus videtur id deduci. Excipiuntur Gundissalvius et Avencebrol cuius solutio in fine praevalet et accipitur; isti habent plura argumenta directa quae probant adesse compositionem materiae et formae in intelligentiis separatis, pro quorum ulteriore enucleatione auctor ad proprium tractatum de intelligentiis remittit.

Testimonia Augustini asserunt materiam informem ex qua Deus creavit omnia, visibilia et invisibilia et etiam intelligibilia. Haec materia ab ipso dividitur in materiam corporalem et spiritualem. "Ex Augustino de mirabilibus divine scripture habetur hoc manifestius; capite scilicet primo libri primi. Ait enim quod ex informi materia quam prius Deus de nylo condidit, cunctarum visibilium et invisibilium rerum, hoc est sensibilium et insensibilium, intellectualium et intellectu carencium, species multiformes divisit. Ex *Confes*, l. 12, arguitur idipsum; ait enim ibidem Augustinus universam creaturam, visibilem et invisibilem naturam hiis duobus celo et terra comprehensam, verum quia non sunt idipsum quod Deus, scilicet universa creatura et inest quaedam mutabilitas omnibus, sive maneant sicud eterna domus Dei ut angelica natura, sive mutentur, omnium quidem rerum visibilium et invisibilium que materiam adhuc informem sed circiter (cce) formalem, hiis nominibus enunciavit: habent igitur omnia materiam. Hoc videtur manifestius per eumdem, in fine eiusdem libri et *super Genesim* 1, c. 2 et 5, ubi vult

quod nominibus celi et terrae informis materia omnium significetur et corporalium et spiritualium."

"Praeterea, quomodo divideret materiam in corporalem et spiritualem dicens quod de spirituali materia congruencius ei dicitur forma, anima, nisi nomen materie inveniretur in omnibus? dividit quidem, ut dictum est l. 7, c. 2; l. 5, c. 3. Omnia igitur creata materiam habent" (f. 88 *va-b*).

Sed praeter testimonia, Augustinus habet etiam argumentum quod quidem capitale est pro nostro auctore, et procedit ex medio quod prius insinuavit Joannes Damascenus, nempe ex simplicitate et compositione. Nihil mutabile simplex; bona creata sunt mutabilia: ergo composita. Sed quidem ex materia et forma quia nulla alia compositio esse potest nisi ex potentia et actu quae, ut vidimus, omnino aequiparantur materiae et formae.

Dupliciter hoc argumentum proponitur, primo ut illud esse Augustini confirmet: "Hoc idem videtur arguere Augustinus ex simplicitate et composicione; probat enim per diversas proposiciones *De Trinitate* 6, c. 6, quod nulla creatura simplex, taliter vel (*corr.*: et aliter nihil) mutabile simplex: omnis creatura mutabilis: igitur nulla creatura simplex. *De Civitate Dei,* l. 11, c. 10, idipsum infert per eamdem viam, unum, inquit, esse solum simplex bonum et ob hoc incommutabile; ab illo, inquit, creata sunt omnia bona, sed non simplicia, et ob hoc mutabilia. Si igitur nulla creatura simplex, omnis composita et compositio non est nisi materie et forme, ex duobus enim in actu aut ex duobus in potencia nihil est compositum: quare omnis creatura habet materiam."

"Amplius omne creatum esse mutabile est manifestum per sapientes omnes quippe secundum Augustinum *Super Genesim* l. 2, c. 8, in rebus eciam formatis est mutabilitas seu possibilitas ad mutacionem eciamsi non mutentur. Adiungam huic quod omne mutabile alico modo materiale; medium autem huius declaratur per Augustinum *Confess.* 12; ait enim de materia quod ipsa est omnium mutabilium mutabilitas; et propter hoc dicit, *super Genesim,* l. 7, c. 2, quod si anima esset immutabilis nullo modo materia eius quereretur, sed quia mutabilis ideo quaeritur. Innuit igitur per hoc, quod mutabilitas debetur materie" (f. 88 *vb*).

Postea autem auctor noster potius vim ratiocinii premit. "Ceterum idipsum per hoc principale intentum aliter declarabo sic: omne mutabile possibile, omne possibile materiale: quare omne mutabile materiale. Primum patet per Avencebron l. 5, c. 24 sic: omne passibile vel paciens est possibile, omne mutabile est passibile: igitur omne mutabile est possibile. Hoc est manifestum per divisionem esse in utrumque (*corr.* necessarium) et possibile quod hoc scilicet necessarium est immutabile: igitur possibile mutabile secundum Avicennam l. 8, c. 6. Quod autem omne possibile sit materiale; potencia enim per se non invenitur nisi in materia sicud inferius declarabitur

tibi, quippe ubi potencia ibi imperfeccio et privacio alico modo secundum rabbi Moysem 92: quia ubí potencia ibi materia. Amplius, motus omnis vel mutacio composita est ex non esse et esse secundum Averoz, super 4 *Met.*, c. 26, *a*, ubi autem hoc est, in materia est, quia ipsa est medium inter esse et non esse sicud superius manifestavi tibi: quare in omni mutabili est materia. Ponam adhuc proposiciones per se notas Augustini ad hoc, quarum prima est haec: omne mutabile formabile, haec ponitur de libero arbitrio, l. 1°; altera est haec: omne mutabile formatur ex aliqua informitate, sicud habetur ab eodem *super Genesim*, l. 1, c. 5, et causa est secundum eumdem quod informitas est per quam res transit de specie in speciem. Ex hiis sequitur quod omne mutabile materiale, quia formabile est quod formari potest, nulla res eciam se ipsam formare potest, sicud dicit Augustinus *De libero arbitrio* 1: quare omne formabile habet informitatem et ita materiam" (f. 88 *vb*). Argumentum procedit, uti videtur, per oppositionem inter Deum et creaturas, ita ut limitatio et imperfectio creaturae nonnisi per compositionem cum materia explicari possit.

Ad idipsum omnino trahitur testimonium Boethii simplicitatem absolutam (identificantem esse et id quod est) soli Deo tribuentis ex quo eruitur compositio omnium creaturarum, quae iterum esse debet ex potentia et actu, seu ex materia et forma, haec enim identificantur. "Hiis adiiciam sermonem Boecii quo declaratur quod intenditur; ait enim in libro scilicet *de Trinitate*, post principium, quod divina substancia sine materia est atque ideo unum, reliqua autem non sunt id quod sunt quia sunt hoc et hoc et non hoc tantum; id vero quod est sine materia solus est id quod est, cum igitur nihil praeter primum sit id quod est, nihil praeter ipsum est sine materia. Amplius ex duabus proposicionibus quas ponit in libro scilicet *De hebdomadibus*, infertur idem; quae sunt haec: omne simplex esse suum et id quod est unum habet; omni composito aliud est ipsum esse et aliud [quod] ipsum est, quare juxta priorem cum nihil praeter primum habeat idem <primum> esse et id quod est, nihil praeter primum est simplex, sed omne quod est praeter ipsum est compositum: habet igitur ipsam (id est materiam) non enim componuntur due forme quarum utraque actu respectu alterius. Sèd oportet quod una sapiat naturam materie ut fiat composicio" (f. 88 *vb*). Et ad idem perducit alia ratio ipsius Boethii secundum quam omnis essentia praeter Deum capit accidens per quod mutatur. Nam sive mutatio sive accidens nonnisi ex materia esse potest, id est; ex principio aliquo potentiali.

Postquam haec exposuit, auctor *Sapientialis* decise concludit: "Ex hiis igitur et consimilibus sermonibus sanctorum et theologorum apparet quod nulla creatura simplex sed composita, et per hoc materiam et formam habet: et hoc est quod intenditur" (f. 89 *ra*).

Argumenta ex principiis Aristotelis et aliorum philosophorum quibus

contenditur deduci universalitas materiae in omnibus entibus creatis, vel procedunt ex pluralitate individuorum in omnibus, etiam in substantiis separatis, quae non potest explicari sine materia, vel ex principiis supra allatis de necessaria compositione creaturarum.

De quibus, duo tantum notamus, scilicet: simplicitatem ita absolute intelligi, ut cum necessitate, immutabilitate, aeternitate omnino identificetur quae soli enti increato conveniunt, atque ideo creatura contrariis attributis dotata sit oportet ut ipso possit opponi. Compositionem ita intelligi ut nonnisi ex duobus principiis intrinsecis ac realibus sese opponentibus ut potentia et actus esse possit. Haec principia alia esse a materia et forma, Thomas de Eboraco intelligere non poterat quia esse non poterat concipere nisi ex forma, forma autem finita esse non poterat sine materia: quare esse concipiebatur ut aliquid exurgens ex coniunctione materiae et formae. Distinctio autem inter *esse* et *id quod est* in creatis ut aliquid logicum potius intendebatur aut pure metaphysicum, fundamentum suum habens in praedicta reali compositione ex materia et forma. Haec in his verbis clare indicantur: "Istud idem declarare videtur Gundissalinus in libro scilicet *de Creacione* c. 8 per diffinicionem esse quod dixerunt philosophi: existenciam forme in materia. Ex hoc sic arguit: omne per quod aliquid est causa, est eius quod per ipsum est; unde quia esse non est nisi per formam numquam fuit sine forma; et iterum quia forma non est nisi per existenciam materie formate secundum dictam diffinicionem, idcirco impossibile est formam esse sine materia quoniam non perficitur esse sine coniunccione utriusque; neutra igitur sine alia habet esse... Haec est declaracio quae fundatur super hoc principium: diversum est esse et id quod est in omni creato. De hoc habes ab Avencebron l. 4, c. 10, 11" (f. 90 *ra*).

Nunc autem illa aliqua "per quae videtur tolli haec contrarietas" nihil aliud sunt quam enucleatior explicatio universalitatis materiae. Materia est universalis, distinguuntur tamen in ea tres gradus diversi: dicitur *proprie* de ea quae admixta est privationi (est ergo generabilis et corruptibilis); *minus proprie* de illa quae subiicitur situi et dimensionibus tantum, et vocatur *subiectum;* denique materia dicitur *communissime* (id est communis omni substantiae) quae est sub esse potentiali subiicibili formae tantum, et appellatur: *ut materia.* "Dicam igitur tibi aliqua post hoc per quae videtur tolli haec contrarietas, an tamen ad hoc sufficiant, lectori relinquatur prudenciori. Dico igitur quod nomen materie dicitur proprie et minus proprie et communiter seu communissime. Proprie ubi admixta est privacioni, propter quam ipsa est principium generacionis et corrupcionis, sicud dicit de vera materia Averoz quod ubi materia ibi generacio et omne habens materiam est generabile et corruptibile, super primum *Phys.* c. 14, prout superius tactum est. Minus autem proprie dicitur materia ubi non est admixta privacio sicud est in

celo et tamen est sub situ et dimensione, unde ibi nominatur subiectum sicud supra dictum est. Communissime dicitur materia ubi nec est cum privacione quae est principium, nec sub situ, sed tantum sub esse potenciale subicibile forme, et materia secundum hanc racionem dicitur ut materia secundum quod dicit Aristoteles *de Generacione,* l. 2, c. 13 quod materia est qua res potest esse et non esse et illud idem in sempiternis est *ut materia,* et materia secundum hanc racionem est in omnibus secundum quod vult Algazel tractatu 5, c. 1 quod omne quod est praeter primum habet esse potenciale quod est simile materie et esse quod est in effectu quod est simile forme, et dat huius racionem, quia praeter *anitatem* habet *quidditatem,* et ita aliquis modus composicionis invenitur in quolibet propter proprietate[s] materie" (f. 90 *rb*).

Distinctio triplicis materiae similis omnino est distinctioni traditae ab Alexandro Halensi (17) et a Bonaventura (18), auctor tamen noster tantummodo ad Aristotelem et Averroem et Algazelem recurrit ad eam iustificandam. Iam initio capitis 15 (f. 82 *ra*), quando coepit agere de materia secundum modum naturalem, duplicem distinctionem materiae tradit: proprie dictam et communiter dictam. Prima est materia admixta privationi quae proinde tantum est in corruptibilibus et transmutabilibus; altera quam "communiter sancti et sapientes dicunt materiam" est principium potentiale substans formae. Haec convenit substantiis aeternis pro quibus Aristoteles et Averroes "malunt nomen subiecti quia dignius... prout dicit Aristoteles ibidem, quod substancie eterne non habent aliquam materiam sed substancia eorum est subiectum". Et subdit quod "per hanc distinctionem solvuntur plures contrarietates". Nunc autem accuratius distinguit in hac secunda acceptione duplicem gradum scilicet: subiectum seu materiam cum proprietatibus loci etsi immutabilem, quae convenit coelis, et aliam communiorem quae vocatur: *ut materia.* Pura ergo contingentia creaturae respicitur in hac communissima materia ut per eam eius mutationes ac limitationes possint explicari. Ut facile videri potest comparando argumenta pro utraque parte, totus conatus Thomae de Eboraco in exponenda et probanda universalitate materiae convertitur in asserendam hanc materiam communem omnibus rebus creatis ut principium omnium entium. Ideo fundatur in universalissimo principio distinguente in omnibus creatis *esse* et *id quod est.* Hoc tamen principium interpretatur auctor *Sapientialis,* uti diximus, non ut realem compositionem ponens inter ea quae distinguit, sed ut realem compositionem ex materia et forma communissime acceptis, in omnibus entibus creatis fundans et iustificans.

Per hanc triplicem materiae distinctionem in tres gradus diversos resolvit in fine materiam secundum quod principaliter sumitur revera non inveniri in spiritibus; et etiam dividi et separari materiam coelorum et terrae, per quae

(17) *Summa theologica,* pars II, ed. Venetiis, 1575, f. 80.
(18) In IIIum *Sentent.* dist. 3, pars 1, art. 1, q. 2; *Opera omnia,* Quaracchi, vol. I, 97.

videtur velle, dicta sapientum contra universalitatem materiae, salvare.

Rursus gradum unumquenque iustificare volens, testimonia adducit ex Aristotele et Averroe et rabbi Moise per quae etiam materiam omnibus communem confirmare intendit, quae tamen non satis aperta sunt. Denique qualis sit haec communis materia et quae cum aliis materiae generibus relatio concipi debeat, omnino cum Avencebrol determinat, qui ponit materiam unam universalem et plures particulares sicut de formis. Haec materia universalis continet particulares et diversificatur per eas secundum respondentes formas sub quibus est.

Ex tota hac consideratione tria perspecta resultant: 1) Thomam de Eboraco de facto defendere thesim de universalitate materiae quam proponit Avencebrol, et secundum eumdem philosophum quamplura de notione et hierarchia materiarum explicare; 2) thesim hanc de universalitate materiae ex Augustino praesertim velle mutuare a quo etiam capita praecipua argumentorum depromit et cuius doctrinam de materia non raro tradit; 3) ad haec omnino trahi principia Aristotelis, ut plurimum secundum expositionem Averrois explanata, ad quae in tota tractatione de materia et in ipsa defensione universalitatis eius speciali modo recurrit. Et haec forte characteristicam nostri auctoris positionem in tota eius directione metaphysica quam maxime individuant et determinant.

III. DE FORMA UT EST PRINCIPIUM ENTIUM

Praecedenti tractatui de materia maxime concordat quoad momentum rei et quoad peculiarem positionem metaphysicam Thomae de Eboraco aperiendam, tractatus de forma. In quo praeter ea quae spectant ad notionem formae enucleandam secundum nomen et definitionem et secundum rem (19), magni est momenti quaestio de exitu formarum in esse ubi intra notiones aristotelicas materiae et formae conceptio pure neoplatonica per Avencebrol introducitur. Distincte haec duo considerabimus.

1. Notio formae

Nomina et descriptiones formae modo simili ac vidimus pro materia ex diversis colliguntur sapientibus: Aristotele, Platone, Augustino; praesertim vero ab Avencebrol. Forma vocatur *eidos* (20), verbum, finis (Aristoteles); dies

(19) In introductione tractatus (f. 91 *va*) ubi secundum hos respectus dicit se temptaturum loqui de forma, addit: "quia multi erraverunt de forma".
(20) A Platone, adducto tamen per Senecam, *ep.* 64.

(Augustinus, *Sup. Gen.* 2, c. 8); unitas, lumen (21) (Avencebrol), etc Iuxta haec nomina et formae proprietates quas significant traduntur variae (15 circiter) descriptiones eius ex Aristotele et Avencebrol potissimum depromptae.

Forma est substantia, seu dantur formae substantiales praeter accidentales. Hoc probat auctor noster per rationes Aristotelis et Averrois (l. 7 *Met.*) et Algazelis. Forma substantialis, de qua potissimum nunc agit Thomas de Eboraco, non est accidens, quia accidens advenit substantiae iam constitutae; "praeterea *yle* est appetens formam ad sui constitucionem quare forma est constituens materiam in esse: igitur non est accidens: est igitur substantia" (f. 92 *ra*). Immo ex eadem ratione contendit esse magis substantiam quam materia prima, quia magis separabilis secundum intellectum ab ipsa "quia actualitas materie a forma est et ipsa continet eam sicud dictum est" (*ibid.*).

Forma dicitur substantia quia exprimit definitionem per quam substantia est per se. Alio modo potius dicitur substantialis quia non habet esse nisi in materia in qua subsistit (*ib.*).

Dicitur natura, iuxta aristotelicam definitionem naturae et quidem magis quam materia (*ib.*).

Est unitas, quia materiam continet et multitudinem causat et a Deo procedit (Avencebrol l. 2, c. 20 et l. 5, c. 13). "Forma universalis est unitas impressa ab uno vero altissimo, infusa in materia tota et continens illam, inicium existens unorum numeratorum" (f. 92 *ra*).

Dicitur lumen quia comparatur lumini secundum Avencebrol (l. 5, c. 30) Forma enim diffunditur in materia sicut lumen in aere, et sic diversitas formarum accipitur secundum materiam tollentem de subtilitate et luminositate, et secundum earum elongationem a Deo, et ita fiunt debiliores sicut debilitatur lux secundum spissitatem aeris et elongationem a fonte. Late prosequitur Thomas de Eboraco hanc similitudinem substantias appellans eo subtiliores quo luminosiores, quia cognitio est per formam et non per materiam. In fine concludit hanc esse comparationem formae ad lumen. In ea evolvenda, modo dicto, nonnisi Avencebrol adducit.

Haec comparatio formae ad lúmen non parum inservit ad plures "forme raciones secundum varias eiusdem distincciones" (f. 93 *v*) declarandas. Et sic inter divisiones formae 14 adductas, traduntur divisiones Avencebrol in formas infusas super materiam (sicut lumen in superficie corporis) et formas in materia simplici (sicut lumen in sole); in sensibiles et intelligibiles. Formae sensibiles sunt propter materiam "sicud radius in aere non videtur nisi cum tangit superficiem quae eum repellit" (sic forma sensibilis est ab intelligibili, et fit sensibilis propter materiam). Similiter forma corporalis et non corporalis sunt ut color (qui fit ex lumine et superficie) et lumen.

(21) Vocatur lumen quia diffunditur in materia "sicud lumen in aere".

In tradenda divisione formae in substantialem et accidentalem Thomas de Eboraco quaerit de prima, an sit in mixtis aliqua forma sic dicta complexionalis quia addita complexioni et determinat cum Averroe debere esse aliam formam additam formis elementorum, quae non est elementum nec ex elementis, et quae non est accidentalis sed substantialis (22).

Praecipua divisio formarum est secundum Avencebrol in universalem et particularem; quarum universalis dividitur in primam et non primam. Prima est unitas veniens ab uno in materia universali prima; non prima vero est speciei specialissimae aut subalternae. Existentia formae universalis probatur cum eodem ex existentia materiae universalis cui correspondet. De ipsa dicitur quod essentia formarum quae sunt in forma universali sunt ipsa essentia formae universalis, nam est forma quae sustinet formam omnis formae cum qua unitur forma omnis rei (f. 93 *ra-b*). Formae ergo conveniunt in forma nec diversificantur nisi secundum materias.

De relatione inter formas superiores et inferiores invenimus hic principia quibus maxime utetur auctor postea: "Forma inferior est defluxa a superiori et ideo est in illa, ut particularis naturalis in forma universali naturali, et forma universalis naturalis in forma universali corporali, et forma universalis corporalis in forma universali spirituali, sicud dicit idem (Avencebrol) l. 2, c. 2, et ita est forma in forma quousque perveniatur ad formam in qua est colleccio omnium formarum, sicud ibidem dicit l. 3, c. 23 et 24" (f. 93 *rb*). "Forma inferior est extremum superioris repraesentans eam" *(ibidem)*.

Denique causa prima improprie dicitur forma quia non sustinetur a materia "ideo antiqui lumen primum non dixerunt formam, secundum quod dicit idem philosophus (Avencebrol)" (*ibid.*). Iam in tradendis descriptionibus formae praemisit formam proprie dici ut est in materia secundum Avencebrol l. 4 c. 20 "et sic prima causa non dicitur forma quamvis secundum communem racionem dicatur forma" (f. 91 *va*).

2. De exitu formarum in esse

Methodus Thomae de Eboraco in hac tradenda quaestione methodo qua usus est pro quaestione de universalitate materiae valde assimilatur. Nimirum, initio tradit opininiones diversas (23) ut dein quamdam inter sapientes concor-

(22) "necesse est aliud addi compositis complexis, ipsum aliud a componentibus" (f. 93 *ra*). "Verum de hac forma cum sit addita, an sic sit addita quod a datore, dicetur infra" (*ibid.*).

(23) "temptabo explicare modum exitus forme in esse, videlicet an sit per dacionem aut generacionem aut aliquo alio modo. Oportet te igitur scire in principio opinionum diversitatem circa hoc. Igitur secundum Averoz super 11 *Met.*, c. 6, tres sunt opiniones principales circa hoc: due contrarie et una media..." (f. 93 *va*).

diam instauret (24). Habet tamen peculiarem characterem. Quaestio praesens est mere philosophica nec in ipsa admiscetur aliquis theologus aut sanctus. Concordia praetenditur instaurari ab auctore nostro inter Aristotelem cum Averroe et alios philosophos, Platonem imprimis et arabes. Haec concordia obtinetur per Avencebrol cui in tota theoria de formis, magis adhuc quam in doctrina de materia, onnino fidit Thomas de Eboraco postquam de eius concordia cum Aristotele certior est factus. Avencebrol sequitur auctor noster in suis lucubrationibus de processione formarum quae purum exhibent neoplatonicum influxum, immo his utitur ut amplior concordia per haec instauretur non iam inter ipsos philosophos sed inter sapientiam ipsorum et sapientiam christianorum, scientiam nempe theologicam pro qua adducit Sacram Scripturam et pauca testimonia Augustini (ter), Ps. Dionysii (semel) et Joannis Damasceni (semel).

Concordia philosophorum est inter duas opiniones praecipuas instauranda exitum formarum in esse ponentes per "dationem" aut per "eductionem" (25). Primo ergo loco exponuntur sententiae sapientum qui dicere videntur formas esse a datore. Examini subiiciuntur singulorum opiniones: Algazelis, scilicet, Avicennae, Platonis et Hermetis, Avencebrol et Rabbi Moisis, et in omnibus aliquid invenitur per quod ipsi influxum intelligentiarum separatarum in formis producendis aliquo modo postulant, unde datorem separatum ponere videantur. His additur Averroes (super 7 *Met.*) afferens aliquas rationes ut ostendat difficilius explicari opinionem negantium dationem seu operationem intelligentiarum in generatione formarum. Hae autem adducuntur arguendi gratia quippe quae inferius resolvuntur "sicud resolvit ipse". Una ex his rationibus procedit ex eo quod in semine non est anima actu, et omnis eductio e potentia in actum debet fieri per ens in actu, et concludit: "est igitur subtantia datrix formarum quam Aristoteles vocat, ut dicit, intelligenciam agentem" (f. 94 *ra*).

His expositis pro datore formarum, contrariam partem introducit Thomas de Eboraco dicens: "Aristoteles vero aliter sentire videtur quod scilicet forme non dentur sed generentur" (f. 94 *rb*). Cuius rationes adducit tum ex 7 *Met.*, tum ex aliis locis (2 *Met.*) desumptas et quae negative procedunt contra motum aut alterationem impossibilem produci a substantiis separatis in sensibilia, et positive doctrinam tradunt de generatione scilicet: generatur non forma sed compositum ex materia et forma, et in generatione generans et generatum sunt unum in forma. Haec omnia clare in nostro *Sapientiali* exponuntur, post quae auctor concludit: "hiis et consimilibus racionibus motus

(24) In fine quaestionis concludit: "Haec sunt igitur quae dicere tibi volui de datoribus formarum, quae si inspexeris, concordare poteris sapienciam christianorum cum sapiencia philosophorum concordia convenienti et decenti" (f. 96 *rb*).

(25) Latitatio formarum posita ab Empedocle reiicitur ab initio quia generatio esset mera alteratio.

Aristoteles negat datorem formarum volens (corr.: nolens) aliquo modo quod forme ingrediantur ab extrinseco per datorem" (f. 94 *vb*).

Error omnium fuit secundum Averroem quod non intellexerunt Aristotelem in hoc quod dicit compositum generari et non solam formam, si enim hoc stabilitur nulla iam requiritur substantia separata, sed sufficiunt agentes naturales et corpora coelestia. Et per hanc declarationem clauditur caput 27 (l. 2) nostri *Sapientialis*. In sequenti vero incipit labor proprius nostri auctoris, crisis nempe omnium testimoniorum hucusque expositorum. "Verum non est verisimile tot et tam probatos philosophos ignorasse hanc extraccionem formarum de potenciis materiae ut merito propter hoc compulsi, ponerent datorem formarum, secundum quod impugnat eos Aristoteles, propterea ad ampliorem forme cognicionem ponam inquisicionem super hoc; quaeram igitur in principio an per dacionem voluerunt intelligere puram forme creacionem an non" (f. 94 *vb*).

Praeter Themistium, qui secundum Averroem videtur admisisse creationem formarum, alii praedicti sapientes nullo modo admiserunt creationem et hoc Thomas de Eboraco conatur ostendere sermonibus ipsorum ex quibus, ait, hoc eruitur manifeste. Omnes ergo prius allatos iterum singillatim recenset ut ostendat illos admisisse aliquod principium intrinsecum generationis formarum per quod pura earum excludatur creatio.

Platonis sententiam primo loco considerat "ad cuius opinionem omnes homines magis declinant secundum quod dicit Averoz super 7 (*Met.*), c. 13". Platonem sicut prius in expositione ita nunc in recensione secundum Averroem iudicat. Prius dationem formarum illi tribuerat uti consequentem opinionem suam de ideis separatis extra existentibus ut entium principiis, nunc autem iustificat eum eo quod ponat in materia formam diminutam seu incompletam et sic duplici sensu formam sumat secundum quod habet Avencebrol (l. 4, c. 20). Avicennam et Algazelem iuxta proprios libros examinat. Dationem ipsis prius imposuit quia dicunt formas infundi ab intelligentia secundum adaptationem materiae earum, et sic diversificantur formae iuxta receptacula, sicut lux solis recepta in aere, terra, speculo etc. Ipsos nunc ex suis etiam libris iustificat affirmans eos non puram creationem formarum posuisse sed eductionem e potentiis materiae, hoc est formas esse aliquo modo ab intrinseco. Nam Algazel ponit exemplum de sole maturante pomum propter dispositionem interius, et causam formae quidem assignat intelligentiam separatam, sed quod sit forma huius vel alterius hoc ponit ab intrinseca dispositione. Avicenna vero admittit definitionem naturae Aristotelis: ergo principium intrinsecum motus. Insuper distinguit potentiam activam et passivam (4 *Met.*, c. 2), sed cum potentia activa sit a forma, ideo in materia est aliquid formae licet incomplete (completa tamen per eductionem e potentia in actum). Haec inter-

pretatio doctrinae Avicennae et Algazelis confirmatur a Gundissalvio (26) qui admittit generationem aliquam per causas secundas inter quas nominatur natura ipsa.

Rabbi Moises clare admittens datorem separatum formarum qui non est corpus uti doctrinam aristotelicam amplectens a Thoma de Eboraco habetur et in eius doctrina de extractore formarum videt "manifeste summam Aristotelis quamvis ille (Rabbi Moises) ponere videatur datorem formarum" (f. 95 *rb*). Denique "Avencebron vult manifeste quod non sint forme omnes ab extrinseco cum velit quod ex prima forma simplici quasi unitate in diversis materiis numerata fiant formata omnia sicud omnis numerus ex replicacione unitatis, prout infra declarabitur tibi, et tamen datorem formarum videtur ponere, unde non immerito querendus est intellectus sapientum in posicione datoris formarum" (f. 95 *rb*).

Iudicium tandem de tota quaestione fit. Sapientes non posuerunt omnium formarum creationem sed eductionem et extractionem de potentiis materiae (27). Aristoteles more suo impugnavit "in sermonibus Platonis et aliorum sapientum sermonem pocius quam intellectum" (28). Ex hoc opiniones conciliantur, nam ex una parte sapientes per dationem non intellexerunt creationem simpliciter "quia ponebant intermedia cum tamen actio creatoris sine medio sit". Posuerunt ergo agentem qui non potest esse purum corpus tale enim non agit nisi in extremitate et non movet nisi motus, est ergo intelligentia aliqua. Quam ex alia parte posuit etiam Aristoteles nam res non ordinantur nisi secundum quod habent ordinem impressum a causis nobilioribus scilicet intelligentiis, ordo enim inferiorum procedit a principio intellectivo. Intelligentias vero formas inducere sine medio non est possibile secundum Aristotelem et Averroem, sed nec est necesse cum adsint media inter intelligentias et formas mixtas per quae movent materiam. Ergo Aristoteles posuit eductionem et etiam intelligentiam, alii vero sapientes praeter intelligentiam ponebant etiam alia ideoque eductionem: discordia non est nisi in nomine.

Tota haec lucubratio typicum specimen nobis dat methodi criticae

(26) "Gundissalinus vero imitator, immo compilator Algazelis et Avicenne per sermones suos manifestat [secundum] eosdem non omnes formas esse a creatore" (f. 95 *ra*). Paulo inferius auctor concludit: "Non sunt igitur forme omnes ab extrinseco penitus, etiam secundum istos" (*ibid.*).

(27) "cum igitur sic senserint sapientes de exitu formarum in esse manifestum est quod non intendebant omnes formas ab extrinseco, hoc est a creacione in materiam ingredi, sed istas formas naturales de potenciis materie extrahi et educi, ex quo videtur quod Aristoteles secundum recitacionem Averoz impugnavit sermonem pocius quam intellectum eorumdem" (f. 95 *rb*).

(28) "Ex hiis igitur patet, sicud videtur, quid impugnavit Aristoteles in sermonibus Platonis et aliorum sapientum sermonem pocius quam intellectum, more suo volens tractatores sapiencie non sentire recte tantum sed et loqui, et ideo multociens impugnavit sermones Platonis et non intellectum, sicud dicit Themistius prout recitat Averoz super 3 *Celi et mundi*, c. 4d, et ut manifeste declarat Themistius in eodem loco" (f. 95 *va*).

nostri auctoris et in genere sui saeculi ad philosophiam applicatae. Nimius obiectivismus in diiudicandis notionibus philosophicis, quae nomine tenus apud philosophos identica sunt, exaggeratum fert concordismum sub quo difficulter sensus rectus divergentium opinionum capi potest.

Ultima tamen adhuc manet quaestio ulteriorque concordia Cur sapientes illi doctrinam Aristotelis intendentes, maluerunt dicere datores formarum potius quam eductores aut extractores? Respondet Thomas de Eboraco exponendo iuxta principia Avencebrol et libri *De causis,* descensum omnium formarum ab intelligentiis separatis usque ad materiam. Haec in his principiis comprehenduntur: inferius continetur perfectius in superiori, superius ita largitur inferiori ut inferius numquam possit aeque superiori compensare. Superiores ergo, id est intelligentiae separatae, sunt vere *datores* et forma vere *donum.* Et haec est propria actio earum nam extrahere convenit etiam naturae per quam ultimo ipsae intelligentiae ponunt in actu formas potentia contentas in materia.

Haec gradatio formarum et perfectionum omnium entium extenditur postea ad Deum primam omnium causam cuius influxus iuxta propositionem primam *De causis,* est omnium maximus. Deus ergo dici potest dator primus generosissimus et liberalissimus et largiens qui dat per eius naturam, sed secundum voluntatem et libertatem, et alia praeter ipsum eo dant et influunt quo imitantur hoc speculum reflectens ideas divinas. In his intelligentiae vident artem divinam, coelestia in intelligentiis, et sic descendendo imprimuntur formae secundum divina exemplaria per voluntatem primo videntem ideas divinas.

Haec iuxta Thomam de Eboraco omnino sapientiae christianae concordant a qua Deus primum atque influentissimum ens praedicatur, ita ut dicatur cum Augustino primus et magnus formator. Angeli praeterea secundum Damascenum sunt lumen et sic communicantur sicut sol constanter lumen effluens, in quo obedit causae primae. Si ergo dici potest Deum facere omnia quae in mundo fiunt: et pluviam, et ventus, et vegetalia, et homines, concludendum est mundum plenum esse Deo (opera enim naturarum inferiorum tribuuntur superioribus), et omnia quae aguntur in mundo fieri per actionem primi qui omnia movet, et omnia penetrat et sine quo nihil esse potest.

Huius mirae lucubrationis textum pro ultima parte dare volumus. "Tercio dicuntur intellectus illi datores propter hoc quod effluunt per modum libertatis et ita per modum doni secundum quod eleganter declarat Avencebron, l. 3, c. 13 quod formator et primus excelsus et sanctus largus est ex eo quod habet apud se; idcirco non est prohibens quin effluat quoniam est fons primus largissimus forme quae est apud se, et ideo quaecumque substancie sunt obedientes accioni eius sunt sequentes eum in dando suas

formas et largiendo suas vires quamdiu inveniunt [materiam] paratam ad recipiendum, et sicud ipse sponte, ita et ipsi sponte dant. Unde et subdit ille sapiens quod fluxus substanciarum intenditur motus et desiderium circa accionem in dando quae est unicio vel imitatio earum ad factorem primum. Et causa est quam dixi, quod sicud liberaliter dat primus dator, sic sequentes substancie; et ideo, ait, quod prima influicio quae est complectens omnes substancias ipsa fecit necessario ut alie substancie influerent aliis. Et in hoc accipe exemplum a sole qui se non fecit effluentem nec dantem radios suos nisi propter hanc causam quae cadit sub prima influicione et obedit illi."

"Si autem alludamus nomini quod est donum, non inconvenienter dicuntur datores isti; est enim donum dacic rite debilis, communicacio autem substanciarum superiorum qua communicant inferioribus per formarum participacionem maior est quam aliqua recompensacio inferiorum per accionum suarum expressionem. Et causa est quia virtus inferior non recipit in ea plenitudine qua superior, eciam secundum sapienciam divini Dionisii qui dicit, *Ierarchia angelica,* c. 5, quod eciam angeli inferiores non participant in ea plenitudine illuminaciones in qua superiores. Unde quia illa communicacio virtutum superiorum <nunc> per quas exprimuntur forme in materia non potest recompensari et per consequens nec reddi per virtutem aut accionem aliquam inferiorem, non inconvenienter dicuntur dare."

"Praeterea nobilius et plus est quod dant ex parte communicancium quam quod extrahunt ex parte recipiunt (*corr.*: recipientium), et causa est quam iam superius: quod forme sunt secundum esse plenius et perfeccius in substanciis superioribus quam inferioribus, et quia ibi quasi immaterialiter."

"Et iterum cum in educcione formarum due sint acciones: prima est influere, secunda de potencia in actum per influicionem exire; prima accio est nobilior, et ideo quamvis utraque accio sit intelligencie moventis et influentis, conveniencius denominabuntur a nobiliori et dicentur datores pocius quam extractores."

"Amplius influere est accio causarum prima et propria, extrahere est accio earum communis cum natura quae mota ab ipsis movetur, primitus enim movent et influunt. Conveniencior autem est nominacio omnis rei ab accione propria quam communi, et ideo, conveniencius determinabitur earum accio per dacionem quam extraccionem, et dicentur datores pocius quam extractores. Haec omnia ex dictis sunt manifesta, propter quae, ut estimo, nominaverunt sapientes et intellectus istos, datores potius quam eductores vel extractores."

"Si quis autem quaerat an ipse primus debeat dici dator forme, intelligat hoc ex proposicione de causis prima, quae est: quod omnis causa primaria prius est influens super causatum suum quam causa secunda, et ideo vehemencius est causa rei quam propinqua, sicud dicit ibi commentator, et

iam patuit hoc ex sermonibus Avencebron; et propter hoc, ipse dicetur verissime dator forme. Unde sapientes christianorum nominantur eum formatorem materie, sicud Augustinus *super Genesim*, c. 11, immo forma omnium sicud idem, *de Religione*, propter hoc quod omnes numeri formarum formantur a prima forma intelligibili, secundum quod idem *de Civitate Dei*, l. 10, c. 17. Unde et sapiencia christianorum in quodam sui loco dicit ipsum formatorem sive forme datorem, prout dicit mater illa commemoracione digna: neque ego, ait, spiritum et animam donavi vobis <et in causa> et singulorum membra non ego ipsa compegi sed mundi formator, creator qui formavit hominis nativitatem. Et forte propter hoc dubitavit Galienus an virtus forme materia (*corr.*: creator) fuerit an creatura; patet autem iam quod et creator et creatura secundum hanc racionem, et ne quidam abhorreat accionem virtutis formative, quae videtur operacio nature, attribui creatori, discat hoc a rabbi Moise, c. 64, quod acciones virtutis inferioris attribuuntur superiori. Unde et opera nature dicuntur opera dei, sicud dicendum cum fecit mencionem de operibus naturalibus; plantis et animalibus, ventis et pluviis, ait: ipsa fuerunt opera domini; et iterum: quam magnificata sunt opera tua domine; unde et subdit: cedri libani quas plantavit etc."

"Si quis autem dicat formam non educi de materia quia imprimitur per operacionem virtutis primi, audiat de hoc Avencebron, l. 3, c. 18, cum dicit quod necesse est quod voluntas educat quod habet in essencia scilicet (*corr.*: simul) et det corporibus, excepto hoc: quod voluntas agit sine tempore, sine motu, sine loco; substancie vero intelligibiles e contrario. Et ideo substancie simplices, et omnino omnes substancie agentes, quidquid faciunt, faciunt secundum accionem primam quae totum movet et penetrat totum; et secundum hunc modum sciemus diffusionem virtutis prime et accionis prime in omnibus quae sunt, quia [si] vires substanciarum simplicium et omnium eorum quae sunt infuse, sunt penetrantes per totum, quanto magis virtus factoris primi! et ideo dictum est quod factor primus est in omnibus quae sunt, et nihil sine eo esse potest."

"Haec sunt igitur quae dicere tibi volui de datoribus formarum, quae si inspexeris, concordare poteris sapienciam christianorum cum sapiencia philosophorum, concordia convenienti et decenti" (f. 96 *ra-b*).

Complent denique conceptum formae ut in *Sapientiali* invenitur, comparatio eius ad causam primam ex qua eruitur hierarchia formarum. Haec sicut praecedentia ex Avencebrol quoque desumit Thomas de Eboraco.

"Oportet igitur te scire in principio, sicud dictum [est] in precedenti capitulo, quod forma omnis creata procedit a prima forma [in]creata; quod declaratur primo per hoc quod dicit Aristoteles ipsam bo[num] et[iam] appellare (*corr.*: appellari) et ob hoc, quoddam divinum esse; prout ipse dicit 1° *Phys.*, c. 14: bonum omne a prima bonitate est, sicud inferius decla-

rabitur tibi. Hoc ostendit sui communicabilitas, sicud dicit Avencebron, l. 3, c. 15, eumdem signum esse (*forte corr.*: eamdem significacionem esse) quod forma processit a factore primo et est obtemperans illi, eo quod compellitur in natura sua ad dandum se."

"Si iterum dicamus cum eodem, l. 4, c. 20 quod forma omnis causati est in sua causa, et forma prima omnium est causa omnium causatorum, sicud superius declaratum est, sequitur ex hoc quod forma prima principium est omnis forme. Hinc manifestum est quod forma omnis inferior repraesentat formam primam quoquomodo per imitacionem secundum quod dicit Avencebron l. 2, c. 7 et 8: quod inferius exemplum est alcioris, c. 11: quod ex aliis veniunt, exempla sunt eorum a quibus veniunt. Hinc forme infuse corporibus exempla sunt formarum spiritualium, ymagines et picture earum, sicud dicit l. 3, c. 18. Inde est quod forma haec inferior participat alico [modo] nomina forme prime conveniencia, ut sunt lumen, unitas etc., nomina de quibus supra dictum est. Et propter hoc, sicud est possibile, est omnis forma similis unitati prime, sicud dicit Avencebron l. 3, c. 16: forma, in hoc quod est una, similis est unitati prime; ipsa autem est una; immo unitas veniens ab unitate prima quae creavit eam, sicud dicit idem..." (f. 96 *rb*).

Formae ergo creatae, aliquo modo imitantur et participant formam increatam, quia vero sunt creatae, ideo sunt mutabiles, diversificabiles, habentes initium et finem etc., id est: proprietates contrarias unitati primae increatae. Et ex propinquitate in serie relate ad primam unitatem desumitur eius gradus simplicitatis, unitatis, occultationis etc., "et propterea forma corporeitatis est occultior forma figure, et forma substancie occultior forma corporeitatis, et forma nature occultior quam forma substancie, et forma anime quam forma nature, et forma intelligencie quam forma anime, et ita series in subtilitate et fortitudine et aliis condicionibus eius" (f. 96 *va*).

Ex omnibus quae de conceptu formae et de quaestione praecipua de formarum exitu in esse, in praesenti capitulo egimus, apparet in doctrina Thomae de Eboraco maximus conatus concordandi et uniendi opposita systhemata Aristotelis et Platonis, vel melius quasdam ideas aristotelicas complendi per neoplatonicos conceptus in arabum philosophia inclusos et praesertim in philosophia Avencebrol. Sympathia auctoris nostri fertur ad augustinianas lucubrationes in quibus platonica et forte melius neoplatonica placita christiana fiunt et cum mystica quadam unctione coniunguntur quae sane spiritui primitivae scholae franciscanae valde consona est. Ideae tamen intra conceptionem et methodum aristotelicam omnino includuntur. Ab Aristotele sunt in hac materia non tantum notiones de quidditate formarum in se consideratarum; sed ipsa theoria eductionis formarum e potentiis materiae ut ab Aristotele et Averroe exponitur plane assumitur, ita ut reliqua uti com-

pletiva ipsius proponantur. Avencebrol tandem auctor noster omnino fidit utpote qui melius mentem suam repraesentat, iungit enim neoplatonicam doctrinam methodo aristotelicae et, verbis saltem, creationem profitetur et Dei personalitatem (29). Non videtur auctor noster pantheismum qui sub systhemate Avencebrol celatur, suspicatum fuisse, ipse tamen, christiano ductus instinctu, doctrinam de descensu formarum in sensu pluralistico genuine scholastico interpretatur.

Notandum est, in tota hac doctrina de formis, saepe adhibuisse Thomam de Eboraco comparationem formae ad lumen. Quaestio ergo occurrit utrum influxus aliquis theoriae lucis Oxoniae paulo antea a Roberto Lincolniensi elaboratae in *Sapientiali* detegi possit. Respondendum videtur Thomam de Eboraco in metaphysica semper urgere comparationem formae ad lumen, quin ullo modo physicam aliquam actionem luci attribuat per quam cum forma realiter identificetur. Ipse ergo in puro campo metaphysicae manet et comparationes eius sufficienter explicari possunt ex influxu neoplatonico Augustini et Avencebrol. Nam Deum lumen proprio sensu vocat et ait vere lumen esse. Similiter dum loquitur de formis spiritualibus angelos appellat lumina cum Joanne Damasceno et Ps. Dionysio. Dum vero de formis corporalibus instituitur sermo verba comparationis magis premit, ita ut videatur semper loqui de lumine sensu translato. Siquidem luminositatem uti proprietatem formarum saepe praedicat, attamen magis adhuc earum premit unitatem quam cum Deo, prima unitate, refert, ex simili neoplatonico influxu.

IV. DE UNIONE MATERIAE ET FORMAE

1. Mutua habitudo materiae et formae

Si nunc comparamus formam et materiam secundum proprietates utrique in *Sapientiali* attributas, plura earum notionem apud Thomam de Eboraco illustrantia invenimus.

Propria actio formae est communicare se. Hinc prima forma dat ipsum esse seu existere materiae. Sed quamvis forma dat esse, ipsa tamen non est per se sed per existentiam materiae formatae. Ad hoc auctor noster adducit Gundissalvium definientem esse: "existentia forme in materia" (f. 96 *vb*). Igitur, tam materia quam forma habent esse, sed in potentia

(29) Cf. M. Menéndez y Pelayo, *Historia de los heterodoxos españoles*, tom. I, pp. 387-390. Ipse p. 389 ait: "El *Fons vitae* contiene en sustancia la doctrina de Plotino (expuesta con método aristotélico) aunque Avicebrón, con más talento y buen deseo que resultado, quiere concertarla con la personalidad divina y con el dogma de la creación. Imposible era unir cosas contradictorias."

tantum, et ex earum coniunctione exurgit esse in actu. Forma non est esse, licet cum ea inseparabiliter comitetur. Forma dicitur dare esse, quia dat esse consummationem cuius materia est initium.

Forma continet, materia continetur. Materia sustentat, forma sustentatur. Actio tribuitur formae, materiae tribuitur passio.

Forma est unitas colligens, materia est dividens ac multiplicans. Omnis unitas est a forma. Tamen forma habet duplicem unitatem: activam et passivam, prior ex seipsa, altera ex materia. Similiter forma est differentiae ac diversitatis operativa.

Forma est cognitionis ministrativa, quia omnis apprehensio est per formam apprehendentis et rei apprehensae (AVENCEBROL, l. 3, c. 39). Forma est principium essendi. Idem vero est principium cognoscendi ac principium essendi. Materia non est cognoscibilis per se sed per formam per quam est (30). Ideo: materia non est scibilis nisi per analogiam seu comparationem ad formam sive compositum.

Materia et forma mutuo debentur per mutuam relationem. Nulla prior tempore, materia prior origine, forma prior dignitate.

Sicut ergo forma non invenitur sine materia, ita materia sine forma.

Formae conveniunt in nomine et definitione, sunt ergo una in specie, multa in individuis sicut materiae. Est una forma universalis sub qua sunt multae particulares, idem dicitur de materia. Ordo formarum est sicut respondentium materiarum (31).

Denique materia et forma comparantur cum Avencebrol duabus portis per quas voluntas se diffundit per omnia et penetrat omnia, a summo usque ad infimum, et ipsam substantiam intelligentiae. Similiter dicuntur duae radices omnium, principium et finis omnium incipientium, tabula et figura, liber et verbum (ex quo lector finem scientiae acquirit et perfectionem sapientiae), auditum et intellectum, speculum et species in eo resultans.

Praedominat ergo conceptio Gundissalvi et Avencebrol qua materia et forma concipiuntur uti duae partes ex quibus componitur ens, indigentes exteriori causa eas uniente ut ens constituant. Et sic dicitur cum Gundissalvio unionem materiae primae et formae primae non esse creationem, nec generationem, sed compositionem. Ambo tamen cum sint in potentia et solum compositum sit actu, indigent agente in actu qui eas componat. Et cum nihil sit prior ipsis nisi voluntas prima quae praecedit eas non tempore sed aeternitate, haec sola potuit eas unire et eadem est quae in unitate iugiter servat.

(30) Fol. 87 *vb* quaerit quomodo intelligentia cognoscat materiam et respondet quod per seipsam, nam cum sit composita ex materia et forma, cognoscit quod ipsa indiget aliquo in quo sustentetur (ex AVENC. l. 5).

(31) Postquam ordinem formarum alias allatum retulit ex Avencebrol, l. 5, c. 20, addit: "hec sunt forme, ut ait, quarum differenciam quicumque bene sciverit, et cognoverit acciones cuiuscumque, iam pervenit ad finem sciencie et delectacionis" (f. 98 *ra*).

Positis his duobus entium principiis ut immediate a Deo procedentibus per creationem (sicut vidimus in determinatione numeri eorum) nunc mutua ipsorum unio per quam tota multiplicitas rerum exurgit, et eorum mutua oppositio per quam haec rerum multiplicitas ortum habere potest, per eorum respectum ad causam primam sub veste neoplatonica ab Avencebrol mutuata explanantur.

Voluntas prima unit materiam cum forma imprimens in illis unitatem. "Est igitur voluntas prima uniens et componens materiam primam et formam primam; propter hoc dicit Avencebron, l. 5, c. 31 quod voluntas prima causa est superior illis et ligans et eas uniens et retinens earum unicionem, quia unicio earum non est nisi ex impressione unitatis in illis, inter quam et ipsas non est medium; et signum huius est perpetuitas earum et stabilitas in unicione quae est propter propinquitatem earum ad originem unitatis, et hoc est quod dicit idem in eodem, c. 26 quod verbum postquam creavit materiam et formam ligavit se cum illis, sicud est ligamentum anime cum corpore, et effudit se in illis, et non discessit ab eis, et penetravit a summo usque ad infimum" (f. 98 *va-b*).

Quia autem post Deum immediate sunt materia et forma directe inter se ab ipso unitae, ideo praeter motorem non requiritur tertia natura uniente, nam post unum, succedit sine medio, duo (32). In quo, unitas materiae et formae aequiparatur unioni animae cum corpore nam uniuntur, ait auctor *Sapientialis*, ut materia et forma.

Causae unionis similiter ex respectu ad causam primam considerantur. "Causa [unionis] est communis ex parte utriusque, nihilominus et propria ex parte singulorum. Communis quidem est secundum Avencebron, l. 5, c. 25 quod, quia factor primus sublimis et sanctus est sufficiens et perfectus, oportuit ut creatura indigens esset et imperfectum; et ideo necesse fuit ut sustinens indigeret sustentato, id est: forma, et sustentatum, id est: materia, sustinente; et neutrum esset perfectum sine altero" (f. 98 *vb*). Alia causa est appetitus unitatis impressus ab unitate prima (nempe Deo) in materia et forma, ex quibus omnia componuntur, et ideo omnia appetunt esse unum et non multa, licet sint contraria et diversa, specie et genere, nam "unitas vincit omnia et est diffusa in omnibus et est retentrix omnium" (f. 99 *ra*). Causa propria unionis ex parte materiae est appetitus ad formam per quam suam propriam perfectionem appetit (Avencebrol, l. 5, c. 33) "materia est proxima unitati prime, et unitas fluit in ea, et ideo movetur ad eam, et cum non possit moveri ad unitatem primam, immediate, movetur ad splen-

(32) Processus rerum similis numerorum, differenter concipitur a Roberto Grosseteste qui unitatem tribuit formae, binarium materiae, et compositioni ternarium. Cf. *De luce seu de inchoatione formarum*. Ed. L. Baur: *Beitraege zur Gesch. d. Phil. des Mittelalters*, vol. 9, Munster i. W., 1912, 58.

dorem eius, id est ad formam" (f. 99 *ra*). "Causa autem propria ex parte forme quia unitur materie, est largitas quam recipit a creatore, ex qua habet in natura sua esse alteri dare et communicare, et per consequens se unire, sicud dicit idem (Avencebron), l. 3, c. 14" (*ibid*). "Maxima denique causa est obediencia qua obediunt voluntati prime, fluxu violencie et necessitatis, quia sunt inter se diverse, et simile simili unitur" (*ibid*). "Hae sunt cause unicionis materie et forme propter quas unum fit ex eisdem sine medio" (*ibidem*).

Causa vero separationis formae a materia est secundum eumdem Avencebrol spissitudo materiae in suo descensu a primo, quo fit ut non adaequetur uni formae et appetat alias. Et sic multiplicantur formae et diversificantur sicut aqua primo limpida, postea paulatim densatur dum venit in stagnum et fit tenebrosa.

Materia denique retinetur proxime per formam, remote per voluntatem, ut sic forma sit media inter voluntatem et materiam, sicut lumen inter solem et aerem, et scripturam inter scriptorem et tabulam (Avencebrol, l. 5, c 36, 38, 39).

Thomas de Eboraco concludit tractatum de materia et forma exponens secundum Avencebrol actionem voluntatis effundentis formas in materia quae est veluti lucis in aere et aquae manantis sine intermissione, penetrantis omnia a summo usque ad infimum. Et sic, intelligitur cur scientia materiae et formae ducat ad scientiam divinitatis, quia cum intelligitur materia cum omnibus formis et in ipsa quis speculatur, speratur pervenire ad scientiam eius qui est post haec. "Et haec est sciencia divinitatis quod est totum maximum, et quidquid infra illud est, est valde parum" (f. 99 *rb*).

2. De primo composito ex materia et forma

Sub hoc epigrapho volumus congregare aliquas doctrinas Thomae de Eboraco quae licet non directe ad materiam et formam ut entium principia referantur, tamen ex dictis de materia et forma deducuntur eaque complementum optimum ferunt ut tota directio metaphysica quae inspiravit *Sapientiale* perspecta satis haberi possit. Haec sunt quaedam capita de primo composito ex materia et forma ut primum ens completum considerato; et quaedam alia ipsum respicientia ut primam substantiam, scilicet: individuam et subiectum accidentium in quibus materia et forma speciale munus habent.

"Primum compositum est primum unum in genere encium" (f. 99 *rb*). Nam compositio materiae et formae est prima omnium, ex quibus veluti ex mari et foemina, omnia originata sunt.

Ens habet convertibilia: unum, verum, bonum. Omnia sunt unum et

ens. Ens et unum sunt idem subiecto sed non respectu; unitas nihil addit substantiae praeter intentionem. Ens et unum non sunt genera, et nihil habent commune cum decem praedicamentis.

Omnia appetunt unum. Appetere unum, est appetere formam et bonitatem primi.

Omne ens est bonum. Bonum, sicut unum, non est accidens; non enim agitur de bono morali proprio rationalium, sed de bono essentiali et primo. Verum, bonum, et unum identificantur cum ente et repraesentant causas eius, scilicet formalem, finalem et efficientem.

Ens, res, aliquid sunt unum et idem; conceptus unius ducit ad conceptum alterius.

Ens non habet definitionem, non enim habet genus supra se cui se coniungat ut differentia.

Proprie loquendo distinguuntur ens et esse. Esse est actus, et est esse entis. Esse dicitur proprie de composito ex materia et forma; elementa dicuntur entia. Praeter ens primum, scilicet Deum, in quo actio est ipsa res, non est idem *esse* et *id quod est*. Esse est actus entis. Nec est accidens sed substantia, aut melius, substantiale (ut forma). Nam quod creaturis accidat esse, significat eas non esse necessario, sed ab alio. Quod dentur gradus essendi significat differenter participari esse a primo, nam etiam secundum Aristotelem substantia suscipit magis et minus prout dicitur de materia, forma et composito.

Esse est in appetitu omnium (nam esse idem est ac perfectio); non esse est in fuga omnium. Primum esse est maxime appetibile omnium, est enim sine imperfectione; ideo omnia appetunt assimilari ad ipsum.

Doctrina haec est praedominanter aristotelica et ab Aristotele desumpta, ut plurimum secundum interpretationem Averrois. Quaedam tamen interseruntur quae influxum denuntiant Gundissalvii et Avencebrol (33).

Primum compositum non tantum est primum unum in genere entium, sed etiam primum unum in genere substantiae. Optimus et amplus tractatus de substantia occupat primam partem libri IV nostri *Sapientialis;* hic tantum quaedam excerpemus quae cum tractatu de principiis entis relationem habent.

Peculiarem conceptum Thomae de Eboraco in doctrina de principiis entium vidimus fuisse dependentiam ita stricte mutuam inter materiam et formam ut, sicut non concipitur materia sine forma, ita nec forma sine materia, ita ut in omnibus entibus creatis esse non concipiatur in forma sine materia. Forma dat esse, sed cum materia. Haec formula, desumpta, ut vidimus, a Gundissalvio et ab Avencebrol, apparet etiam ut clavis plurium questionum de substantia prima.

(33) "Haec omnia continentur in duobus ultimis capitibus" (f. 97 *vb* - 102 *rb*).

Et primo quidem in quaestione de principio seu causa individuationis. Modo simili ac pro quaestione de universalitate materiae affert hic auctor noster rationes pro utraque parte, pro materia scilicet et pro forma, praetermissis tamen auctoritatibus, pro quibus ad tractatum de materia remittit. "Huic parti (nempe quod substantia individuetur per materiam) conveniunt auctoritates multe quae posite sunt in capitulis de materia et forma, et ideo hic eas pertranseo." Rationes pro materia desumit quam maxime ex Aristotele secundum expositionem Averrois et ex Avicenna et unitatem efferunt quam causat forma, dum materia per quantitatem causa est multitudinis, ideoque et individuationis. Post quas, alias plerumque ex ipsis philosophis desumptas exponit rationes, suadentes individuationem esse ex forma, eo quod numeratio supponit aliquam actualitatem quae nonnisi a forma provenire potest. "Et cum iam praemisi tibi ea quae videntur arguere quod numeracio seu individuacio fuerit per materiam, recolligam nunc ea quae videntur inferre quod debet esse ex parte forme vel per formam" (f. 107 *rb*).

Solutio obvia quae logice eruitur ex praemissis est quod individuatio erit simul ex materia et ex forma. Et hanc sequitur Thomas de Eboraco tribuendo tamen potiores partes formae. "Igitur preter formam speciei, oportet, ut videtur, quod aut sit forma aliqua propria de se particularis quae contrahat materiam communem ad singularitatem, aut materia aliqua signata quae contrahat formam communem ad singularitatem. Quis igitur modorum istorum est? Videtur quod primo, et non secundo. Primo quod materia non est signata nisi per formam, igitur non est causa signacionis formae. Secundo, quod materia est in racione recipientis et ens in potencia, et forma in racione largitatis, et est ens in actu: quare illa signabilitas erit ex forma" (f. 107 *vb;* l. 4, c. 5).

Similis responsio omnino exhibetur in capite 15 eiusdem libri IV nostri *Sapientialis,* quaestioni de determinando quid sit primum et minimum in genere substantiae, quod sit mensura omnium quae in illo genere sunt, seu quaenam sit prima unitas substantialis. Haec non potest esse prima forma increata, ut visum est Averroi, quia mensura debet esse "infra eorum quae sunt in primo genere"; nec esse potest compositum, quia mensura simplex esse debet. Quaestio ergo manet inter materiam et formam. Materia prima una est et unica, et ratio et radix, per quantitatem, omnis mensurationis, sed tamen eius unitas nonnisi per negationem est dum forma est actus, et determinans. Praefertur ergo forma, et quidem forma prima, iuxta Avencebrol, quia numeratio quaevis non intelligitur sine aliqua actualitate et forma, dum materia non movetur nisi mota. Et duplex numeratio distinguitur: activa scilicet ex parte formae, et passiva ex parte materiae.

Haec conceptio duplicis unitatis et numerationis recurrit in quaestione de relatione accidentium ad substantiam. Radix accidentium est materia, ideo

substantia sine accidente esse nequit, omnia enim materiam habent (f. 118 *v*; l. 4, c. 18). Accidens, tamen non in sola materia, nec in sola forma existere potest, sed in solo composito quippe quod solum compositum est in actu, atque ideo subiectum esse potest accidentium (*ib.*).

Causa et principium accidentis est materia quae tamen debet actuari a forma ut ex ea procedere possint accidentia et sic totum compositum possit esse subiectum accidentium. Accidentia ergo debentur materiae ex eius passiva unitate et numeratione quae est causa multitudinis et mutabilitatis, sed tamen et materia et forma sunt principia accidentium ex unitate et numeratione activa sine qua materia actuari nequit. "Manifestum est quod est duplex numeracio: activa et passiva, formalis et essencialis (*corr.*: materialis); ad numeracionem activam et formalem sequitur produccio formarum substancialium, ad numeracionem passivam et materialem produccio formarum accidentalium. Amplius materia, cum sit numerabilis, hoc est in potencia ut numeretur etiam secundum seipsam ante compositionem eius cum forma quia haec potencia quae numerabilis est concreta est eidem; tamen in propinquiori disposicione vel potencia est ut numeretur cum est in actu sub forma. Et propter hoc forte dicit Aristoteles quod esse praeter formam propriam quae passiva est, est in materia, ipsa forma actu eam numerans unitate quae est principium numeri substanciarum, ad quem numerum sequitur numerus accidencium." Et paulo inferius: "Et ex hiis videre poteris differenciam quomodo differenter materia est subiectum forme et subiectum accidentis; quia non est subiectum accidentis nisi cum est actu sub aliqua forma numeratarum a forma prima; subiectum autem forme prime est secundum simplicem eius potenciam quae est adhuc in potencia ad unam formarum supradictarum. Propter hoc audis ab Aristotele in pluribus locis, sicud superius dixi tibi, quod congregatum ex subiecto et accidente est congregatum ex alico in actu et forma; et congregatum vel compositum ex materia et forma vel genere et differencia est compositum ex alico quod est in potencia et ex alico quod est in actu."

"Ex hiis eciam scire poteris quomodo et materia et forma sint principia accidencium, et quomodo accidens causatur a forma substanciali, et tamen omne accidens est in substancia per naturam materie. Quia nisi actu numeret forma, non est materia actu numerata. Et nisi materia fuerit actu numerata non est numeratum accidens ipsa. Quia tamen prima radix numeracionis est in materia [per] specialissimas raciones quas dixi tibi, ideo accidencia attribuuntur nature materie (f. 122 *ra-b*; l. 4, c. 21).

In questione de substantia secunda, seu universali, eius sententia videtur omnino conformis realismo moderato aristotelico. Distinguit quidditatem substantiae primae quam cum Avicenna in forma eius reponit ut exprimente definitionem eius, et quidditatem universalem abstractam ab individuis quam

aliquo modo compositam vocat quia non abstrahitur sola forma sed quidditas complectens materiam et formam et ideo praedicatur de individuis habentibus materiam et formam. Universale separatum non existit nisi in anima, in qua causa est cognoscendi, nam omnis cognitio est per formam (sicut forma est causa essendi prout in singularibus invenitur); et ideo genus et differentia cum materia et forma identificantur.

Nota. — Quaestionem de unitate formae substantialis nullo modo in *Sapientiali* adumbrata invenitur. Pluralitas formarum ex systhemate Avencebrol desumpta, apparet semper inconcussa nec umquam specialiter probata. Tamen tempore quo codices scripti sunt, hanc quaestionem agitari indicat marginalis annotatio eiusdem manus, ut videtur, ac scribae codicis, quae quidem in duobus invenitur codicibus, Florentino scilicet et Vat. lat. 4301, (in primo f. 74 *rb,* in altero f. 56 *va*). Nempe, ubi traduntur divisiones materiae (l. 2, c. 21) Avicenna dividit materiam in simplicem et compositam, haec autem quae iterum ex materia et forma composita est, *ut corpus respectu animae.* Ad hoc annotatio marginalis dicit: "ecce quod in homine est alia forma substancialis preter animam, secundum Avicennam".

Notamus hic etiam, sententiam de universalitate materiae tenere etiam auctorem nostrum in tractatu de anima (l. 7) ubi compositionem animae ex materia et forma, contra G. Parisiensem acriter defendit.

Doctrina de rationibus seminalibus non recurrit apud Thomam de Eboraco in sermone de materia prima, sed in tractatu de natura; videtur ergo illas activas potentias et germina omnium, non materiae soli sed soli composito, et quidem ex parte formae, tribuisse.

V. DE DIVISIONIBUS ENTIUM ATTINGENTIBUS CREATOREM ET CREATURAS

1. Necessarium et possibile

Fere tota Metaphysica generalis a Thomae de Eboraco traditur in suo *Sapientiali,* uti praemonuimus alibi, sub forma divisionum entium in aliquibus capitibus congregatarum. Praecipuum omnium, sine dubio, est genus divisionis entium cuius unum extremum directe vel indirecte cadere potest in ipso Creatore. Haec traditur in toto libro III *Sapientialis.* Ratio procedendi auctoris nostri, iuxta peculiarem eius methodum, est tradere omnes divisiones huiusmodi quas sapientes docuerunt easque per rationes ipsorum explanare. Unde quaestiones paucae pertractantur sed potius plures plurium philosophorum divisiones et notiones traduntur quae postea explicantur

ac concordantur. Conabimur breviter doctrinam, aut saltem tendentiam doctrinalem nostri auctoris, in his perspicere.

Plures primo loco divisiones tradit auctor noster quae tamen in eam incidunt quam amplius pertractat, scilicet in ens possibile et ens necessarium (34). Haec divisio et eius enucleatio potissimum desumitur ex Avicenna et Algazele et etiam ex Gundissalvio: *De creatione.*

Non est expectanda ab auctore nostro ordinata dispositio notionum et exactitudo definitionum vocabulorum. Dum enim notiones ex diversis sapientibus assumit, apud quos non eumdem sensum habent, omnia indifferenter tradit, quasi de una eademque re locuti. Quare potius ex tota rei descriptione potest aliquid erui.

Proprietates entis necessarii decem numerantur apud Avicennam, et duodecim apud Algazelem, quibus adduntur adhuc quinque aliae negativae (35). Totus labor nostri auctoris est in explanando eas, reducendo unam divisionem ad aliam, et addendo pro aliquarum dilucidatione testimonia aliorum sapientum rem enucleantium. Duas praecipuas tantum considerabimus.

Ultima proprietas ex negativis quam affert Algazel exprimit ens necessarium non habere quidditatem quae concomitet necessitatem essendi. Haec connectitur cum quinta proprietate Avicennae quae simplicitatem entis necessarii absolute enunciat. Simplicitas entis necessarii declaratur per hoc: quod omne simplex suum *esse* et *id quod est* unum habet; e contra: diversum est *esse* et *id quod est* in omni composito (f. 144). Haec vocabula: *esse* et *id quod est,* desumuntur ex Boethio, *De hebdomadibus,* et aliis in locis repetuntur, praesertim ubi sermo est de simplicitate Dei et etiam in defendenda universalitate materiae in omnibus creatis. Haec etiam ab Algazele usitata videntur qui quartam proprietatem entis necessarii sic exprimit: esse eius et id quod primum est, idem est. E contra ipse, ut vidimus, proprietatem iam negativam quae in idem redundat, exprimit per vocabula quidditatis et anitatis iam alias a nostro auctore ab Avicenna et Algazele mutuata. In nostro auctore idem sonare videntur *esse* et *anitas,* quod non aliud est quam *existen-*

(34) Aliae praedictae divisiones sunt: in ens essentialiter et ens participative, ens ex alio et non ex alio, ens per se et ens per accidens, ens dependens et non dependens, sibi ens et non sibi ens, sufficiens et non sufficiens, acquirens et non acquirens, secundum quid et simpliciter, absolutum et respectivum. Magis detinetur auctor in prima istarum divisionum consideranda et praesertim in inferendo unum simplex et indivisibile esse omnibus existentibus participatum, et quod necessario est in fine veritatis et entitatis et causalitatis. Participatio ex ipso non est ad modum partis sed uti circulus cujus radii participant centrum, vel sicut sigilli impressiones participant archetypum. Differenter autem participatur secundum mensurabiles capacitates participantium.

(35) Decem proprietates entis necessarii ab Avicenna expositae, sic efferuntur ab auctore nostro: 1) est ens non causatum; 2) omnifariam necessarium; 3) solitarium; 4) ab omni communicatione alienum; 5) simplicissimum; 6) certissimum; 7) absolutissimum; 8) ab omni mutabilitate elongatissimum; 9) unicum; 10) summe proprium. Negative additae ab Algazel sunt: 1) non est accidens; 2) nec corpus; 3) nec forma; 4) nec substantia; 5) non habet quidditatem quae concomitet necessitatem essendi (f. 146 *va*).

tia, seu *esse in actu*, quod proprium est entium completorum etiamsi detur a forma; et simili modo, idem esse *id quod est* et *quidditas*, sub quo intelligitur rei definitio quae in substantia prima exprimitur per formam, in substantia vero secunda complectitur materiam et formam; hic autem sumitur in genere et compositum similiter comprehendere videtur.

Hoc eruitur ex sequentibus propositionibus: Ens necessarium est simplicissimum quia identificat *esse* et *id quod est*, seu habet *anitatem* sine *quidditate* "si enim haberet plus quam anitatem esset compositum et causatum" (f. 147 *vb*). Nam aut penderet ab alio, et tunc iam non esset necessarium, aut a seipso et tunc "necessitas essendi, postquam fuerit certificata in seipsa, egebit alio, quod est impossibile, sicud materia cum est constituta in esse materieitatis eget tamen forma ut sit in effectu; hoc autem est impossibile in proposito quia necesse esse non est prius in potencia, et deinde in effectu" (f. 148 *ra*).

Adhuc autem illustratur per oppositas proprietates entis possibilis seu contingentis. Ens possibile est compositum, nam secundum Avicennam, I *Met.* c. 13, adhuc ens possibile quod durationem habet sempiternam, componitur ex eo quod in se est et ex eo quod recipit ab alio. "Et propterea nomen substancie est in possibile esse quia ei accidit esse in effectu; in ipso est enim *id quod est* et *esse* diversum, prout superius dictum est. Quod vero dictum est necesse esse non habere quidditatem preter anitatem, videtur esse dubitabile an sit in omni possibili esse, utpote substanciis simplicibus, et iam videtur esse determinatum hoc quia in omni eo in quo est diversum *esse* et *id quod est*, est quidditas preter anitatem, solum enim esse seu sola anitas non facit quidditatem sicud dicit Avicenna, l. 8, c. 4; unde cum in omni possibili non sit idem *id quod est* et *esse*, omne tale habet quidditatem" (f. 148 *rb*).

Ex hac simplicitate concludit entis necessarii unitatem seu unicitatem, non enim haberent in quo convenirent et in quo differrent si plura essent. Ipsa tamen unitas ex aseitate directe deducitur cum Avicenna, sicut si homo esset homo talis per humanitatem, non posset esse nisi unus homo. E contra, ens possibile est multiplex et non unum in numero sed in specie aut genere aut communitate quae in ente sit, "non enim omnia sunt unum, sicud aliqui sapientes dixerunt, et manet perspicuum ex dictis in sermone de principiis" (f. 149).

2. Causatum et incausatum

Divisionem entis in causatum et incausatum desumit Thomas de Eboraco, sicut praecedentes, ex Algazele (tract. I *Met.*, c. 10) et Avicenna (l. 6, c. 1). Causa cum ipsis definitur communiter: id per quod aliud habet esse; et extenditur sive ad creationem (quae materiam non supponit), sive ad factionem quae

materia indiget, in qua actio immediata vocatur causatio, mediata vero generatio (f. 151 *va*).

Ad quatuor sectiones commode hic tractatus de causis reducitur, scilicet: de causis in genere; de causis efficientibus; de causis finalibus; de statu seu finitate in seriebus omnium generum causarum. In toto tractatu potior sermo fit de Deo uti causa prima in diversis generibus causarum, in efficientibus praesertim, et praeferenter adducitur ordinata processio omnium a Deo per gradationem causarum mediatarum. Sapientes, primo loco adducti, sunt Avicenna et Algazel una cum Aristotele.

De causis in genere affert auctor noster proprietates et divisiones quas sapientes tradiderunt. Proprietates exponit comparando causam et causatum secundum decem diversos respectus, videlicet: *1)* secundum alietatem *(De causis proposit.*, 8: nihil est causa sui); *2)* prioritatem (Avicenna, 2 *Met.* c. 4: causa prior est causato, tempore aut natura); *3)* dignitatem (Avicenna, 6 *Met.*, c. 3: causa est dignior quia dat esse causato); *4) necessitatem*, ex parte causati (Plato in *Timaeo*, 1 et Cicero: *De divinatione*, c. 12: nihil fieri potest sine causa; adeo ut Aristoteles, 2 *Coeli et Mundi*, dicat quod non est possibile ut res sempiternae sint sine causa), ex parte causae (Avicenna, 9 *Met.*, c. 1; si causa semper est ut causa, semper est causatum, sapientia autem christianorum hoc reprobat nisi dicatur sempiternitas initium existendi non in tempore sed ex tempore); *5)* simultatem (Avicenna, 4 *Met.*, c. 2: causa praecedit quia est ratio cur causatum sit); *6)* unitatem et pluralitatem (Aristoteles, 4 *Meteor.*, c. 12: contrariorum contrariae sunt causae); *7)* relationem (Algazel, 2, tract. *Met.* 5: non est relatio mutua quia causatum pendet a causa sed non e converso); *8)* proprietatum oppositionem (secundum necessitatem, largitionem etc. Avicenna, 6 *Met.*, c. 3); *9)* mutuam eorumdem cognitionem (Albumasar, 1 tractatu, differentia 4: causa per causatum cognoscitur); *10)* proportionem (semper est aliqua proportio inter causam et causatum, etiam in accidentibus; Aristoteles et Rabbi Moises, c. 10).

Non parvum habet momentum in metaphysica Thomae de Eboraco (quippe quod recurrit pluries in *Sapientiali)* distinctio cum Avicenna et praesertim cum Avencebrol inter esse quod causatum habet in sua causa et in propria natura. "Primum esse est in idea, alterum in materia vel natura, secundum quod dicit Avencebrol, l. 5 c. 17, quod forma habet esse ex parte facti et factoris, et in superioribus seu causis formae sunt perfectius et plenius quam in causatis. Et ideo dicunt sapientes christianorum quod creatura in Verbo Dei est creatrix essencia, secundum divinum Ioannem: quod factum est in ipso vita erat" (f. 151 *vb*).

Potior divisio causae ex pluribus quas affert (circiter 12) est in primariam et secundariam (desumitur ex prop. 1. *De causis* et explicatur "sicud

exponitur ibidem ab Alfarabio f. 151 *vb)*. Causa prima est ineffabilis et super omne quod nominatur quia est lux illuminans omnes mentes *(De causis,* prop. 6 et 20) quae a nullo lumen participat. Deus est prima causa agens, plus influens quam intermediae, causa causarum et effectuum. Similiter est causa formalis, non ut forma recipitur in materia sed quatenus forma essentiam rei determinat. Et finalis, quia voluntas Creatoris est finis ultimus ceterorum (36).

Quatuor causas aristotelicas ultimo describit cum pluribus declarationibus relate ad earum numerum, definitionem modosque earum ex Avicenna et Algazele desumptis; praemissis prius "aliquibus generalibus divisionibus quae excedunt intencionem Aristotelis in tractatu de causis", scilicet: divisio Platonis in exemplarem et exemplatam (causae exemplaris nomen solis ideis divinis reservat, primordiatas causas creatas, exempla appellans), et aliae duae ex Augustino, *De civitate Dei.*

De causa efficiente praecipuus in *Sapientiali* instituitur sermo. Brevi praemissa divisione causarum efficientium, statim primum agentem proclamat perfectissimum, nobilissimum atque actum purum quia substantiam cum actione identificat; et ponit quaestionem "an in omni accione, non tantum creacionis sed eciam educcionis, sit ipse primus immediate agens, an in secunda accione agat per medium" (f. 155 *rb)*.

Tota quaestio est in refellentibus aliquibus purum occasionalismum defendentibus qui fulciri nitebantur in rationibus sapientum christianorum et specialiter Augustini in aliquibus locis ubi dicit Deum unicum esse qui possit intime agere atque in ipsa essentia creaturae.

Quibus Thomas de Eboraco reprobationem philosophicam eorum opinionum declarat: "Sciat igitur lector hanc posicionem a philosophia reprobatam..." (f. 155 *rb)*. Et respondet ipsis, primo allegando auctoritates sive sapientum mundi (Aristoteles et Averroes praesertim, admittentes in rebus actiones naturales seu a principio intra, et negantes puram dationem omnium formarum a datore); sive sapientum Dei et quidem Augustini in variis locis ubi actionem causarum secundarum agnoscit et agentes mediatos, scilicet angelos et causas naturales; alios locos ab adversariis adductos interpretatur Thomas de Eboraco de dominio immediato Dei super omnia agentia quod extollit ipsa Sacra Scriptura. Postea vero adhuc idem ostendit rationibus cum duplicem Dei actionem distinguit: creationem nempe quae in omnibus est actio intima et inmediata, et actionem qua Deus agit in omnibus secundum ordinem cau-

(36) Valde premit auctor *Sapientalis* causam primam esse voluntariam et nullo modo necessariam, et cum Rabbi Moise notat in hoc errasse Aristotelem, et ideo multum hic laborans non potuit dare rationem plurimorum rerum, e. g. solem ex oriente in occidentem ire etc., quae per Dei voluntatem facile resolvuntur. Idem innuit in quaestione de aeternitate mundi.

sarum secundarum intermediarum. Haec tamen ut causa causarum non ideo minus intima et efficax est dicenda etiamsi actio sit magis ex causa proxima. Actio Dei vocata est largitas et comparatur fonti omnia irriganti atque foecundanti, cuius effectus sunt eo nobiliore quo magis appropinquantur ipsi et elongantur a materia.

In tota hac quaestione non unica similitudo apparet inter ideas nunc expressas de intimitate actionis Dei ut primae causae, quin tamen negentur causae secundae, et quaestionem de exitu formarum in esse ubi Thomas de Eboraco puram dationem formarum negans, actionem tamen divinam in omnibus effectibus causarum secundarum premit. Magis autem relatio apparet ex his quae nunc subnectit de ceteris agentibus praeter primum, quorum gradationem sic exprimit: Coniunctum corporale (corpus); coniunctum sempiternum (corpora coelestia); separatum possibile (anima); separatum necessarium (intelligentiae separatae) et Deum.

De causa finali Thomas de Eboraco longum, uti solet, preambulum praelibat de definitionibus (15 adducit, ex Aristotele, Averroe, Avicenna et Rabbi Moise) et divisionibus (circiter 12), et dein existentiam finis ex Aristotele et Averroe probat, distinguens tamen cum Avicenna inter bonum et finem. Sequuntur aliquae quaestiones Deum specialiter respicientes. Deus non habet intentionem in agendo, habet tamen finem, videlicet: suam sapientiam vel melius: suam bonitatem. Subtiliter distinguit quid sibi vult habere intentionem et diversas intentionum species, ut difficultati occurrat ex Augustino qui aliquo in loco dicit interrogari posse propter quam intentionem Deus fecit omnia. Responderi debet Deum omnia fecisse propter seipsum (sicut exercitus propter ducem). Quoad angelos aut intellectus separatos, non repugnat eos agere propter intentionem, nec ex hoc putandi sunt inferiores quod ad res inferiores ordinentur, sicut pastor ordinatur ad gregem, cum sit gregi superior.

Deus est prima causa finalis: patet ex definitionibus finis. Ideo Deus est finis omnium quia est efficiens omnium. Omnia sunt propter unum (Avencebrol); omnia enim moventur ut aliquid bonitatis primi finis adipiscantur, maiori vel minori afficacia prout a primo ente, scilicet Deo minus vel magis elongantur.

De statu causarum, denique auctor noster rationes sapientum profert. Primo, in genere pro omni causa, infinitatem seriei evertit secundum circulum consideratae, per rationes Avicennae et Gundissalvi (essent prius et posterius simul); et etiam seriei secundum rectum consideratae, per rationes Algazelis ex necessario et possibili ductas, quibus et aliis ex Avicenna (omne causatum est dependens) et Algazel (omne causatum est relatum) iunguntur. Sequuntur et aliquae ex Aristotele et Averroe (2 *Met.*). In specie argumen-

tum conficitur praesertim pro causis efficientibus ex Aristotele 2 *Met.*, nunquam neglecto Averroe (37).

Veluti appendix ad tractatum de causis capitulum additur de casu et fortuna, ubi Thomas de Eboraco persequitur quaestiones quas de hoc subiecto tangit Aristoteles, adhibito constanter Commentatore.

Post questiones de causis sequitur in *Sapientiali*, doctrina *de principiis*, seu divisio entis in principium et principiatum. In qua auctor noster fere non excedit limites Aristotelis et Averrois, tum in proponendis definitionibus, tum in tradendis quaestionibus. Diversa loca colligit pro dilucidandis singulis quaestionibus, diversasque quaestiones ex diversis operibus adunat, ita ut aliquando videatur agere commentatorem. Praecipue considerat quaestiones ex 3 *Met.*, 1 et 2 *Post. Anal.*, et 6 *Eth.* In his ultimis libris versione Lincolniensi usum esse videtur ex pluribus etymologiis graecis adiunctis; Commentatorem aliquem Aristotelis quem nominat auctor praeter Averroem ex ista versione esse videtur; et etiam alium Commentatorem in *Post. Anal.* nominat cuius doctrina platonica perhibetur.

Praeter quaestiones generales de principiis in genere, et de principiis scientiarum, peculiaris de habitibus principiorum agitur quaestio specialiter ob respectum erga Aristotelem notanda. Nempe: utrum habitus principiorum sint innati an non, id est an principia sint intra nos latentia vel extrinsecus ea accipiamus per inductionem quamdam (2 *Post. An.* c. ultimo). Thomas de Eboraco exponit theoriam abstractionis aristotelicam, originem omnium cognitionum adscribentem sensibus. Et notat Aristotelem convenire aliquo modo cum sapientibus christianis quatenus principia aliquo modo ab intra ponit; dissonat tamen ab eis, nam Augustinus in libro *De quantitate animae*, et *De Trinitate*, l. 10, c. 1, ait nos habere doctrinas veluti impressas animae, quod comparat tertio coelo stellarum, quas per se possumus videre, per peccatum autem prohibemur (38). Ex hoc Plato deducebat praeexistentiam animarum quam Augustinus ut innecessariam refellit. Ideo in raptu a sensibus possumus adhuc contemplari coelum principiorum. Concludit ergo Thomas de Eboraco errasse in hoc Aristotelem in ipso fundamento, ex quo tota theoria abstractionis deturpatam fuisse. Corrigitur ergo Aristoteles ponendo sensus non causam

(37) Fol. 163: "Quod numquam, non sint infinite sic vel sic, ostendit Aristoteles de singulis quatuor causis, et primo de causa efficiente, cujus demonstracio taliter extrahi potest secundum quod videtur exprimere eam Averoz et Avicenna, l. 8, c. 1."

(38) Paucas allusiones in *Sapientali* invenimus ad quaestiones stricte psychologicas, nam desunt tractatus proprii. Aliquotiens tamen Thomas de Eboraco doctrinam Augustini refert: cognitionem nostram per phantasmata ex peccato originali esse (sic l. 4, c. 9). Initio autem tractatus de veritate triplicem originem specierum distinguit per analogiam ad alias formas: "hec igitur sunt dubitaciones de hoc duplici esse quod est in re extra, et intus in anima quarum tamen solucionem libencius ab alio audirem quam ipse ego explicarem; oportet tamen te scire quod sicud est posicio triplex formarum in naturalibus... sic potest esse posicio triplex specierum in intellectu aut quod sunt penitus infuse, aut quedam sunt penitus innate, aut medio modo..." (fol. 210 *vb*).

esse cognitionis sed occasionem necessariam, et similiter inductionis, ita ut intellectus, ipseque solus dicatur causa cognitionis principiorum (fol. 171).

Tractatio principiorum concluditur per laudes amplissimas Dei, primi omnium principii et originis, cui conveniunt modo perfectissimo proprietates principiorum, eo quod sit prima causa et ens absolute necessarium. In quibus amplissimam eruditionem manifestat, dicta plurimorum sapientum de hoc primo principio colligens, inter quae non desunt Plato et Augustinus Deum appellantes lumen omnium cognitionum, et Avencebrol inculcans maiorem haberi in omnibus lucem corporalem et spiritualem iuxta ad Deum appropinquationem.

In aliis divisionibus entis, nempe perfecti et imperfecti, simplicis et compositi similem methodum sequitur tradendi definitiones et divisiones sapientum et applicandi doctrinam praesertim ad Deum. Deus est antonomastice perfectus; perfectio aliarum rerum nonnisi in earum ad Deum approximationem atque assimilationem constare potest. In ente simplici iuxta Boethium sunt unum, *esse* et *id quod est*. In omni composito debet esse compositio ex potentia et actu seu ex materia et forma. Omnia praeter Deum sunt composita, et eo simpliciora quo magis ad Deum accedunt.

3. Bonum et malum

Tota tractatio omnino ad augustinismum platonicum deflectit. Iam videre est ex ipsa ratione includendi hanc divisionem in hoc libro in quo tradit divisiones generales entis quarum unum extremum Creatorem attingit (fol. 178 *vb*). Thomas de Eboraco scribit: "Conveniens autem in hoc libro tractare de bono, nam si quis quid bonum ipsum sit agnoverit, pariter Deum qui bonus est contingat agnoscere, secundum quod dicit Boethius, *Consol.* 3, c. 21."

Ipsa dein exponendi ratio tota confluit ad existentiam Summi Boni probandam, et proprietatum eius. Praeambulum, uti solet, praemittit in quo plurimas boni divisiones, numerantur 17, proprietates 20, atque descriptiones circiter 25, ex sapientibus recitat. Inter quos Seneca primum locum habet (39) in suis epistolis, cui sequuntur Aristoteles et Augustinus. Per ipsos praeterea probat nullum horum exteriorum bonorum esse verum bonum (40).

Quaestio praecipua movetur de bono quod omnia appetunt, utrum sit unum aut multa (41). Et rationes sapientum afferuntur pro utraque parte.

(39) "harum enim proprietatum raciones scire poteris per predictum sapientem (Seneca), si diligencius librum eius inspicias" (fol. 1,9 *ra*).

(40) "verum quod nullus horum exteriorum bonorum verum bonum sit, bene tibi monstrabo per sermones sapienciales" (fol. 179 *va*).

(41) "quero igitur de bono quod omnia appetunt: aut est unum et non multa: aut multa et non unum; aut unum in multis; aut multa in uno" (fol. 180 *ra*).

Contrarietas apparens solvitur per Commentatorem *super* 1 *Eth.*, c. 1, ubi docet bonum commune attingi per bonum proprium (42). Bonum ergo unicum est Summum Bonum quod est in appetitu omnium. De hoc autem quid sit, dissentierunt Plato et Aristoteles. Auctori nostro magis arridet opinio Platonis a Commentatore Aristotelis *super* 1 *Eth.* defensa, et contra ipsas rationes Aristotelis quibus "bonum anypostatum seu per se subsistentem" redarguit, vindicata (43). Rationes contra bonum separatum, ex Aristotele (ex *Ethica*, *Metaphysica* et *Logica*) congerit. Sed quia dicit Commentator (44) Aristotelem Platoni non obsistere in suis rationibus et ille habet non spernenda theoremata de bono, videndum est quid dicat Plato "ut per hoc pateat si Aristoteles ad opinionis sue interpretacionem procedat cum effectu" (f. 181 *ra*). Plato autem primum bonum universale posuit quia est fons atque ultimus finis subsistentiae omnium ceterorum. Et secundum hoc, rationes quinque Aristotelis prius allatae, nunc per Commentatorem exploduntur qui conatur ostendere Aristotelem erravisse in conceptu eius quod est "secundum seipsum", quod non aliter esse potest nisi "propter seipsum" et "existens a seipso"; et sic nihil existit secundum se, nisi Bonum Primum (f. 181 *va*).

Existit ergo Summum Bonum, unum atque simplicissimum, nempe Deum. "Hec autem fuit sentencia Platonis in posicione boni separati, secundum quod dicit commentator, bonum quidem commune quod omnia appetunt, et propter quod humiliora similiter et excelsiora [sunt]; et hoc est Deus, ex quo omnia, et per quem, et ad quem omnia" (f. 182 *rb*).

Summum Bonum est beatitudo. Et hic auctor noster multiplices descriptiones affert beatitudinis, ex Augustino praesertim et Boethio. Quia beatitudo ponebatur in summa omnium bonorum et haec identificabantur cum diversis bonis creatis, ideo plures opiniones habitae sunt de Summo Bono. Ipsum tamen est unum, atque beatitudo secundum Platonem et Augustinum sita est in speculatione ac fruitione Dei.

Duo ultima capitula huius libri quem in praesenti capite consideramus, agunt de malo per respectum ad bonum. Malum ergo est in privatione boni secundum doctrinam metaphysicorum arabum Avicennae et Algazel: "ex hoc manifestum [est] quod malum non est essencia sed privacio, secundum

(42) Fol. 180 *va*: "Et per hoc estimo poteris respondere racionibus; non enim est racioni dissonum quod beatitudo sit una in beatificante, et tamen numeretur beatificatis." Eam comparat lumini solis.

(43) Caput 3 inscribitur: "In inquirendo de bono quod omnia appetunt, an sit unum aut multa, et in ponendo opinionem Platonis de hoc bono, et in inducendo raciones Aristotelis contra ipsum, et tandem in manifestando quod raciones Arist. sunt sophisticae quantum ad intellectum Platonis, et in ostendendo earum sophisticaciones." In fine capitis subnectit: "et in hiis responsum est omnibus racionibus Aristotelis quibus impugnare videtur Platonem" (fol. 181 *va*).

(44) Jam innuimus hunc commentatorem probabiliter esse auctorem commentariorum ex illis in versione lincolniensi ethicorum inclusis. In c. 33 semel nominatur Eustratius.

Avicennam ibi; privacio vero non quelibet, sed privacio rei a perfeccionibus sue speciei, et propter hoc non est malum nisi ubi est aptitudo ad contrarium, sicud dicit in eodem... malum autem est proprie privacio perfeccionis secunde, secundum Avicennam" (f. 183 *va*).

Isti philosophi cum Rabbi Moise indicant materiam uti causam mali. Hoc Thomas de Eboraco dicit esse falsum, si de necessitate intelligitur, posse vero dici de possibilitate, quatenus si materiam in genere accipimus, Deus solus esset sola forma ubi malum inveniri nequit. Sapientes autem christiani ponunt rationem mali in ratione essendi ex nihilo (Augustinus) ad quod sequitur habere materiam; "non est enim possibile aliquid incipere et non habere materiam; ideo dicit Avicenna 4 *Met.*, c. 2, quod omne quod incepit, habet materiam, quia habet esse post non esse" (f. 183 *vb*) (45).

Nullum malum hoc nomen meretur nisi malum culpae. Deus nullatenus valet operare malum quia "non est principium mali nisi deficiens ab entitate, sicud sapienter dogmatizant sapientes christianorum" (f. 184 *vb*). Cum Rabbi Moise solvit Thomas de Eboraco difficultatem Scripturae Sacrae de induratione cordium ex parte Dei; indurare cor simile est ac cum dicitur facere obscuritatem per luminis extinctionem.

Existentiam mali voluntarii seu culpae probatur ex existentia poenae. Causa huius mali non est alia quam voluntatis deficientia. Ceterae quae indicantur a sapientibus non sunt efficientes, sed praecedentes malum, excepta materia quae pro multis est mali vera occasio.

Proprietates plures mali et descriptiones ex sapientibus deducit Thomas de Eboraco (circiter 15) inter quos eminent Seneca, in *Epistolis,* Aristoteles, *Ethic.* et Boethius, *De consolatione philosophiae.* In fine totius libri, mali proprietates in summa recolligit: "Proprietates autem mali ex supradictis sic in summa recolliguntur: Malum est privativum; impotencie, servitutis et timiditatis inductivum; mencium penis oppressivum; securitatis ablativum; diffidencie generativum; sollicitudine verberativum; ignorancie, falsitatis, turpitudinis, displicencie, tristicie, penalitatis imperativum; corruptivum; naturalis dignitatis ablativum; in innaturalem transformativum; unitatis dissipativum; mutabilitatis et divisionis causativum; infelicitatis et miserie consummativum" (f. 185 *va*).

(45) "quod autem dicunt non esse possibile malum in angelis secundum sentenciam Aristotelis, hoc habet falsitatem secundum opinionem christianorum, et est Platonis, sicut tu audies in sermone de intelligencia" (fol. 185 *v*).

VI. DOCTRINAE ALIQUAE DE CREATORE

1. Dei existentia

Maxima nobilitas atque excellentia scientiae quae de Deo est Thomam de Eboraco induxit ad tractatum de Creatore in suo *Sapientiali* praemittendum, siquidem, ut ipse ait, est sublimis eo quod ad felicitatem ducens (Avicenna, 6 *Met.*) et agat de causa ultima post quam non est alia, scientia enim est cognitio per causas (Aristoteles).

Quaestio praevia pro Thoma de Eboraco est an possibilis sit de Deo scientia aliqua, aliqui enim philosophi divinitatem incontemplabilem et incomprehensibilem dixerunt. Horum autem difficultates solvit auctor noster per distinctionem traditam ab Avencebrol inter apprehensionem et comprehensionem. Comprehendere idem est ac circumdare, dum apprehendere non significat nisi rem aliquo modo arripere et sic effectus potest apprehendere causam quatenus in ea se figit et sic percipit eam, licet non comprehendat. Si autem quaeratur quomodo talis scientia in hac mortali vita dari potest respondet idem Avencebrol impossibilem fore sine creaturis a Primo factis, possibilem tamen esse ex operibus eius (Avencebrol, l. 2, c. 3). Cui et alii plures sapientes concordant; Algazel autem addit posse Deum cognosci saltem per negationem qualitatis, quod per Ioannem Damascenum confirmatur, quia Deus nihil est eius quod alia sunt. Ipse enim *est* magis quam omnia cetera. Eius esse est excessivum, ut sese exprimit Avicenna (*Phys.*, l. 8, c. 6).

Duplicem, sequendo Avicennam, distinguit auctor noster scientiam de Deo, nempe: an sit, et eius proprietates. De prima ergo prius agendum est, id est: de Dei "anitate", seu an Deus sit; hoc enim est, ait ipse, prima veritas omnium: Deum esse.

Tractatus non brevis (fol. 18 *rb*-24 *ra*) de argumentis pro Dei existentia catalogum completum omnium quam diversorum argumentorum ex diversissimis philosophis et theologis haustorum, nobis exhibet. Apparet solicitudo auctoris ad omnia argumenta ex omnibus capitibus colligenda, ita ut, postquam 18 modos unde potest Dei existentia probari declaraverit, concludit quasi admirans quomodo dixit insipiens non esse Deum cum tot modis probetur adesse. Et continuo, inquirens in errores philosophorum circa Deum, determinat eos errasse potius in designando Deum quam in negando eius existentiam, uno enim modo aut alio omnes senserunt Deum esse, erraverunt autem in eius designatione quia vel hallucinati a sensibus, vel in ratiocinatione defecerunt.

In tradendis argumentis pro Dei existentia, tria praesertim apud aucto-

rem nostrum notare est: 1) usus Ciceronis; 2) praevalentia argumentorum a priori dictorum; 3) dependentia a philosophis arabis pro argumentis metaphysicis et quaedam diffidentia erga Aristotelem.

Ex Cicerone (praesertim *De natura deorum*) desumuntur imprimis argumenta faciliora et veluti popularia praesertim, ex sensu communi, quibus accedit etiam argumentum ex ordine mundi (46). Haec constituunt primam seriem argumentorum.

Altera series disponitur cum Ps. Dionysio per triplicem animi ad Deum ascensionem iuxta triplicem motum, videlicet: circularem, rectum et obliquum (*De divin. nom.*, c. 4). Perfectior omnium est motus in Deum rectus procedens a rebus uti exemplaribus, signis et imaginibus, quibus conspectis, mens uno ictu feratur ad supremam unitatem "non intelligibiliter sed intellectualiter, non diggressive sed unitive, non obliqua mentis intentione sed directa ipsius tuitione" (l. 1, c. 6). Talis motus supponit fidem et specialem gratiam quae non omnibus datur, unde nullo pacto potuerunt philosophi hac recta in Deum ascensione uti (47). Hic modus characterem quemdam mysticum induere videtur.

Mixto modo ex mystica intuitione et ratiocinio naturali procedit motus circularis quo animus, agnita eius imperfectione, exit a semetipso quaerens bonitatem et perfectionem quo eius indigentia impleatur; postquam vero omnia creata percurrerit quin perfectionem expetitam invenerit, redit intra se insatiatus et famelicus, et ex se et ex rerum externarum insufficientia arguit et scit esse supra se aliud ens quod ipsum totaliter perficere potest: Deum.

Quin tamen circulus compleatur potest animus a creaturis ad Deum transire. Haec enim sunt vestigia a quibus mens ascendit, difficulter quidem et acerbe, ex uno in aliud donec ad ultimum, scilicet: Deum, perveniat mediis ordinariis rationis utens. Hic est motus obliqúus, unicus qui potuit patere philosophis. Qui tribus praesertim procedit viis secundum quas ex characteribus rerum concluditur ad existentiam creatoris earum, gubernatoris et conciliatoris. In quo enucleando minimum locum Thomas de Eboraco reservat Aristoteli, praeferenter sequens modos platonicorum secundum Augustinum (*De Civitate Dei,* l. 8, c. 5, 6) qui existentiam Creatoris ex diversis mundi considerationibus deducunt principio causalitatis roboratis. Iam agens de argumento ex ordine mundi per Ciceronem relatum et quodammodo motui recto aequiparato. concludit ex mundi ordine ac pulchritudine agnosci debere exi-

(46) Series argumentorum faciliorum procedit: "per hominum consensionem, naturalem impressionem, legis nature dictacionem, naturalem animi appeticionem, immobilem divinitatis opinionem, per praesentem manifestacionem, futurorum praediccionem" (Ex titulis capitulorum 5 et 6, l. 1).

(47) Uti vestigium motus recti ponitur consideratio Ciceronis (*De natura deorum* 2, 7) ex ordine et pulchritudine totius universi oculos hominis exculti et horum penitus ignari, subito percellenti. Hoc autem esset tribuere argumento ex ordine mundi vim quamdam immediatam.

stentiam alicuius qui sit "aut factor omnium si omnia nata sunt, prout Platoni visum est, aut moderator eorum si iam erant, sicut placuit Aristoteli" (l. 1, c. 7). Via qua concluditur ad Rationem mundi rectricem, ex Cicerone desumpta est. Existentia, denique, Conciliatoris contrariorum quae in mundo sunt, cum Gundissalvio eruitur dependenter ex eius doctrina de principiis entium iuxta quam omnia creata componuntur ex forma et materia inter se mutuo contraris sed ex voluntate Dei perenniter unitis, iuxta Avencebrolis systhema.

Capita argumentorum hucusque considerata vim moralem et physicam praesertim habentia dici possunt; post quae caput octavum libri 1 *Sapientialis* quatuor addit adhuc argumenta valorem metaphysicum quam maxime exhibentia quorum duo prima ex conceptu necessarii et possibilis (id est contingentis), ducibus Avicenna (1 *Met.*, c. 10) et Algazel (l. ,1 c. ultimo et l. 7, c. 1), applicato ad ea quae *sunt* ut concludatur existentia entis absolute necessarii quod sit Prima omnium causa, praesupposita demonstratione status (id est limitis seu finis in serie) earum. Duo vero altera, modo simili ex conceptu entis participati et imparticipati applicato ad gradus bonitatis in entibus secundum Anselmum *(Monologium,* l. 1, c. 1) et ad gradus entium, seu diversos modos participandi esse, iuxta quinque animi conceptiones Boethii *(De hebdomadibus)* concluditur existere debere Summum Bonum per quod omnia sunt bona, et Summum Ens quod est per seipsum, id est: est suum esse, in quo uno identificantur *esse* et *id quod est,* quae in omnibus sub ipso diversificantur. Hae considerationes ad ea quae *realiter* sunt applicari videntur, procedunt enim semper ex gradibus bonitatis et esse *eorum quae sunt:* earum ergo vis a posteriori est. Haec argumenta, sicut quae praecedunt et quae subsequuntur, non raro sese internectunt, et praecisione, qua vis et momentum proprium cuiusque determinetur, carent.

Gradatione ascendente qua videntur posita esse capita argumentorum in *Sapientiali,* manent consideranda argumenta *a priori,* adeo cara scholasticis antiquis, vestigia Augustini et Anselmi quam maxime, prementibus. Argumentum S. Anselmi nomini ligatum, praebetur a Thoma de Eboraco tamquam "ex diffinicione Epicuri quae est: quo magis excogitari nequit, quam affert Cicero, *De natura deorum*, l. 1, c. 8, de qua loquitur theologus Anselmus in *Proslogio*". Argumentum recitat auctor noster simul ac responsionem insipientis et refutationem Anselmi, quae omnia ex libro *De redargutione insipientis* depromit et quinque continentur syllogismis. His allatis, Thomas concludit valere argumentum Anselmi (f. 23 *vb*). Argumentum Augustini desumitur ex immutabilitate veritatis *(De lib. arb.,* l. 1); cum enim omnes veritates non sint nisi participationes unius Summae aeternae veritatis quae Deus est, sequitur posse inferri has propositiones, scilicet: Deum esse verum, et: verum esse, Deum esse.

His autem notioribus formis argumenti a priori pro Dei existentia praemittitur in eodem capitulo (c. 9, l. 1) alia ex divisionibus entis desumpta quam Thomas de Eboraco a philosophis arabibus praesertim depromit. Istae divisiones sunt quae dividunt ens in ens *per se* seu participans et ens *per aliud* seu participatum, necessarium et contingens, prius et posterius, indigens et non indigens, etc., in seriem nempe proprietatum enti infinito soli convenientium et in seriem aliarum quae entibus finitis sunt propriae. Materialiter, ergo, confunditur hoc argumentum cum argumento metaphysico ex contingenti et necessario supra relato, formaliter tamen differre dicendum est, dum enim illud procedit ex necessitate et contingentia et his similibus tamquam "proprietates essendi" in rebus quae *sunt*, existentibus, hoc desumitur ex divisionibus entis "ex quarum uno membro necessario infertur alterum per naturam oppositorum relative, quo illato sequitur Deum esse" (fol. 23 *ra*). Ex puro ergo conceptu entis, necessitas deducitur entis necessarii, etc., quod alterum divisionis membrum, si detur, fundet: quare eius intentio *a priori* dicenda est.

2. Dei descriptiones atque attributa

Veluti complementum doctrinae de Dei existentia, et antequam descriptiones Dei tradat, auctor *Sapientialis*, unitatem Dei in tuto ponit. Nos vero ut Dei unitatem una cum ceteris attributis, scilicet immutabilitatem et simplicitatem quae postea Thomas de Eboraco considerat, coniungamus, prius de Dei nominibus atque descriptionibus agemus.

Tractatus de Dei nominibus atque descriptionibus aliquid valde characteristicum in Theologia naturali auctoris nostri esse videtur. Labor compilatorius Thomae de Eboraco maxime elucet in catalogo descriptionum Dei nobis oblato in cap. 16, 17 et 18, libri 1 sui *Sapientialis*. Prius autem capitulum praemittit de Dei nominibus ut sic sciatur quid Deus sit nomine et re, semper, ut mos est nostri auctoris in suo *Sapientiali*, "secundum sapientum sermones" (48).

Isti sapientes sunt nunc praesertim Maimonides, Avicenna, Algazel et Avencebrol cum Ps. Dionysio et Joanne Damasceno qui adducuntur diversis in locis. Nomina Dei dividuntur in affirmativa, negativa, symbolica et excessiva et relativa. Deus est innominabilis ut est in se, nominabilis autem prout per creaturas manifestatur. Nomina Dei secundum philosophos arabes

(48) Fol. 38 *va*: "Cum iam expleta est inquisicio de Deo prima, videlicet an sit et an unus sit, temptabo nunc aggredi inquisicionem secundam quae de ipso est, hoc est de proprietatibus eius, videlicet quid sit nomine et re." Et fol. 29 *vb* concludit: "haec igitur sunt quae in genere praemisi de nominibus de Deo secundum sermones sapientum mundi."

et iudaeos dicuntur praeferenter per negationem, si vero per affirmationem, tunc attenditur relatio externa ad creaturas, praedominat tamen negatio adhuc in nominibus affirmativis et excessivis.

Si Deus aliquo modo nominabilis est, nullo tamen pacto potest dari de Ipso definitio aliqua, cum non habeat speciem nec genus nec causam. Possunt tamen efferri aliquae descriptiones eius quae quidditatem eius exprimant; quas auctor ponit "ut per eas manuducamur ad theologicas contemplationes" (f. 29 *vb*). Dei descriptiones ordinantur in *Sapientiali* iuxta tres diversos ordines, scilicet: descriptiones sapientum christianorum (quae numerantur 49); descriptiones allatae a sapientia philosophorum (numerus earum 26); et tertio denique loco aliquae descriptiones peculiares et ingeniosae "que videntur describere Deum in se ex sua simplicitate" (f. 30 *ra*). Postremae hae descriptiones debebant numerari 24, ut in titulo capituli declaratur, sed earum maxima pars (non extant nisi tres) auctor non compilavit, ut notat in hoc loco codex Vat. lat. 4301 (f. 20 *va*). Summa ergo omnium ad 100 valde accedere debebat.

Descriptiones sapientum Dei, paucissimis exceptis (2 ex Anselmo, 2 ex Gregorio, et 1 ex Boethio), desumuntur ex Augustino, praesertim ex *Soliloquiis, De civitate Dei* et *De vera religione*. Descriptiones sapientum mundi sunt praecipue ex Aristotele depromptae, aliquae tamen ex Cicerone, Seneca, Apuleio, Platone et Trismegisto; una tribuitur Albumassar, et prima Boethio "qui, quamvis sit de catholicis (ait auctor in f. 35 *ra*), tamen, quia sermo suus sapit philosophiam, ideo inter philosophos ipsum connumero". Separatio tamen inter sapientes Dei et mundi non obstat quin inter testimonia Augustini, quamplura referant doctrinas Platonis et, sive descriptiones sapientum Dei, sive sapientum mundi, testimoniis theologorum et philosophorum promiscue illustrentur.

Tales descriptiones non aliud sunt quam verba quaedam praeclara eloquiaque diserta quibus aliqua Dei proprietas eximie enunciatur. Quaedam ex his considerant Deum in se, aliae respectum eius ad creaturas, vel etiam Deum considerant relate ad intellectum et ad veritatem, aut relate ad voluntatem et ad bonum, nonnullae etiam pulchritudinem et iucunditatem divinam exprimunt dum quaedam harmoniam omnium in Ipso et vitam divinam extollunt.

Speciminis gratia quasdam adiungemus: "Deus est id quod est" (Boethius, *De Trinitate,* post principium), "Deus est substantia propriissima, vel melius essentia" (Aug. *De Trin.,* l. 5, c. 3). Notat auctor, in explicanda hac descriptione, melius dici Deum *essentiam* quam *substantiam,* quia substantia potest significare aliquod corpus vel quod accidentibus subest, iuxta etymon graecum. — "Deus est una sola individua simplex natura" (Anselm. *Proslog.,* c. 22). — "Super humanas mentes fabricator mundi, creator animarum"

(Aug. *De vera relig.*). — "Veritas et species intelligibilis pulcherrima" (Aug. *Epist.* 38 *ad Dioscorum*). — "Naturae causa, scientiae forma, vita summa" (Plato secundum Aug. *De Civ. Dei*). In explicatione huius, ait auctor exhinc derivasse triplicem philosophiae divisionem in logicam, physicam, ethicam quam ferunt Platonem primo adinvenisse. — "Lux intelligibilis" (Aug. *Sol.*, 1) quae facit omnia intelligibilia sicut lux solis omnia in terra facit visibilia. — "Pulchritudo exemplaris" (Aug. *ad Dioscorum*, tracta a Platonicis.). — "Summum bonum producens beatitudinem" (Plato secundum Aug. *De civitate Dei*, l. 8, c. 8). — "Deus est qui malum non facit sed facit esse ne pessimum fiat" (Aug. *Sol.*, 1). — "Deus est amor omnium creaturarum" (Boethio, *Cons. Phil.*, 4, 13). — "Deus est mens separata omnia movens" (Cicero, *Tusc.*, l. 1). — "Nobilissimus entium" (Aristoteles secundum expositionem Averrois super 2 *Met.*, c. 24). — "Fons luminis, Seminarium vitae, Omnicreator" (Trismegistus, *De 6 principiis* et *Ad Asclepium*). — "Vita fixa sempiterna" (Aristoteles, 1, *De coelo et mundo*, c. 15). Denique tres ultimae descriptiones ad tertium ordinem pertinentes (49) sunt: "Monas monadem gignens et in se suum reflectens ardorem" (50). — "Deus est sphaera intelligibilis cuius centrum est ubique, circumferentia nusquam". — "Deus est totus in quolibet sui".

Dei attributa quae in *Sapientiali* considerantur, sunt uti diximus, unitas, simplicitas et immutabilitas. Unitas Dei sat diffusa tractatione a Thoma de Eboraco enucleatur, in qua unitas Dei per sermones philosophorum ostenditur clare asserta et probata, specialem subnectens refutationem opinionis ponentis duos deos ad modum manichaeorum.

Prius exponit auctor noster sermones philosophorum circa Dei unitatem, et in illis contrarietatem quamdam detegit, praesertim quoad Platonem, inter confessiones aliquas de absoluta Dei unitate et sermones eorum de deorum dualitate aut pluralitate. Haec autem contrarietas solvitur a Thoma de Eboraco declarando philosophos asseruisse Dei unitatem quando recte ratiocinati sunt; quod si quandoque pro diis posuerunt Dei opera, aut Dei dona (unde fabulae mythologicae ortae sunt) tamen aliquem unum Deum supremum admiserunt, ut Plato loquens aliquotiens de Deo deorum, et deos inferiores sicut nos angelos ponimus, adstruebant, quemadmodum pro platonicis ex Augustino *De Civitate Dei*, l. 9, c. 11, coniici potest. Praevia hac difficultate soluta, late persequitur auctor *Sapientialis* demonstrationem unitatis Dei per septem praecipua argumenta ex propositionibus Aristotelis (pluries secun-

(49) Descriptiones huius ordinis sic introducuntur: "Post haec ponam descripciones 24 quas referunt dixisse 24 philosophi quas singulas singuli, induciis sibi datis, in communi protulerunt, et exponam eas breviter..." (l. 1, c. 17, f. 37 *va*).

(50) Haec propositio in alio loco adducitur tamquam "Hermetis, annumerata propositio 74".

dum expositionem Averrois) et Platonis (*Tim.*, 1) praesertim deprompta. Tria ex istis ducuntur secundum aliquas vias quibus existentia Dei demonstrata est (ex unitate mundi, ex unitate primae causae, ex unitate entis imparticipati); reliqua vero ex aliis Dei attributis deducuntur (ex immensitate, perfectione, infinitate). His non contentus, Thomas de Eboraco summopere insistit in reiiciendo dualitatem deorum (51), primo, rationibus generalibus inter quas notatu dignae sunt quas ex natura simplicitatis divinae (Rabbi Moises, c. 79) et per rationem eius quod est *necesse esse* et *per se esse*, ex Avicenna et Algazel, et praecipue ex Maimonide, desumit. Specialiter adhuc destruit positionem Platonis de duobus diis de quibus omnia dicerentur aequivoce quia hoc esset contra rationem nominum, si enim per omnia essent aequales non possent nomina de eis dici aequivoce sed univoce, tunc vero deberent habere aliquid commune et ideo composita essent. Denique ratione bonitatis quae cum esse convertitur et ratione malitiae quae est non ens, similiter redarguit positionem duplicis dei, boni scilicet et mali prout "posuerunt manichaei, sicut recitant sapientes christianorum" (f. 25 *v*) quibus plures alias morales rationes (ex mutuo bello, etc.) addit desumptas ex Rabbi Moise, c. 73.

Veluti complementum dictorum de Dei unitate in capitibus 10-14 libri I *Sapientialis*, in capite 14 auctor agit "de sermonibus philosophorum in quibus videtur insinuari trinitas personarum in divinis, et in demonstrando qualiter et unde in hanc cognitionem aliqualiter, licet tenuiter, devenire potuerunt." In quo, Thomas de Eboraco sequitur quam maxime Augustinum, ut initio ipse dicit: "nemo sit qui accepcio praesumptioni ascribat cum in hoc processu patronum habeam Augustinum" (f. 27 *va*). Testimonia hauriuntur praesertim ex *Confess.* l. 7 et *Contra quinque haereses* (non authenticus) l. 9 et *De Civ. Dei.* Praeter ipsum adducuntur etiam Plato, Trismegistus (cuius etiam affertur liber inscriptus *Logostileos*) (52) et Macrobius. Ab istis adumbratam esse secundam Trinitatis personam et aeternam generationem fatetur Thomas de Eboraco, tertiam autem aliquatenus ex nominibus voluntatis et bonitatis (Avencebrol) potuissent deducere, sed quia naturaliter sapientiam cum bonitate confuderunt, ideo eam cognoscere non potuerunt.

In exponenda simplicitate et immutabilitate Dei potius quam scholastice inquirere quomodo metaphysice tales notiones in Deo intelligendae sint, non aliud facit Thomas de Eboraco in suo *Sapientali* quam haec attributa in Deo vindicare ex rationibus sapientum et difficultatem solvere, antinomiae scilicet Dei simplicitatis cum multitudine operum a Deo creatorum et Dei immuta-

(51) Fol. 25 *va*: "Verum quamvis haec principia sint de unitate Dei, tamen quia apud multos invaluit opinio de pluralitate deorum, propter hoc adhuc circa huius erroris improbationem insistendum est ut rationum tam evidentia quam efficacia, praedicta pluralitas eliminetur."

(52) Fol. 27 *va*: "Huic autem concordat Hermes qui Mercurius dicitur in libro *ad logo scilius*, hoc est verbum perfectum."

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

bilis creatoris rerum mutabilium, quae philosophos arabes induxit ad struendam hierarchiam intelligentiarum tamquam creatorum intermediorum inter Deum et mundum, quod dogmati christiano oppositum est. In alio loco directe Thomas de Eboraco debuerat tractare hanc quaestionem, scilicet in capite 7 libri II sic inscripto: "In declarando quod quamvis creator sit unus et simplicissimus, quod non oporteat propter hoc quod unicum tantum sit creatum primum, immo quod multa possunt simul exire ab uno, multa quidem numero et specie." Hoc tamen capitulum in omnibus hucusque notis codicibus deest. In nostro tractatu difficultatem considerat modo omnino philosophico et solvit iuxta suam methodum, per sermones philosophorum, quin ullam allusionem ad dogma christianum adiungat.

In probanda Dei omnimoda simplicitate rationes 14 accumulat inter quas notabiles sunt quae ex Boethio et Aristotele desumit. Primae procedunt ex distinctione inter *esse* et *id quod est* in omnibus praeter Deum, qui, ideo, est simplicissimus quia identificat *esse* et *id quod est:* in Deo, igitur, non est *hoc* et *hoc*, sed *hoc*, tantum. Haec eadem notio recurrit in alio testimonio ex Avicenna desumpto ubi connectitur cum notione entis necessarii; ens enim necessarium non habet quidditatem a qua pendeat ut possit esse, quia ipsum est quidditas cui unum et idem est *esse* et *id quod ipsum est.* Rationes aristotelicae hauriuntur ex natura actus puri qui simplicissimus est quia nullae admixtus potentiae, nam quod potentia caret, caret compositione; et ex indivisibilitate quae competit motori immobili. Haec autem ratio de motore immobili magis ipsi inservit ad probandam immutabilitatem supposita simplicitate, si enim simplex non movetur neque mutatur: est ergo immutabile.

Difficultas in concilianda simplicitate et immutabilitate Dei cum multiplicitate creaturarum et continuo Dei in omnibus influxu, solvitur tribuendo multiplicitatem et mobilitatem effectibus. Difficultas strenue proponitur, solutio vero indicatur, quidem, sed non philosophice explicatur, tantummodo illustratur per exempla (53). Quae uberius traduntur quoad simplicitatem, scilicet: de sole diversimode res illuminante, de luce aliter in terra ac in speculo se reflectente, de potentia rationali quae cum sit una, diversas elicit operationes ut legere, scribere, etc. Immutabilitatem similiter comparat aeternitati quae cum in se fixa sit, nobis apparet uti quaedam temporis agitatio. Principia quae invocat ad multiplicitatem tribuendam effectibus sunt Aristo-

(53) Fol. 39 *rb*: "Huic autem simplicitati contradicere videtur multiformitas eius nec non eius multiplicitas, sicut dicitur prop. 22 secundi ordinis: Deus est forma multiformis specie multiplex; sicut nominat apostolus multiformem sapientiam Dei; et sapiens in libro sapientiae specialem eius multiplicitatem. Sed haec contrarietas solvitur per hoc quod haec multiplicitae et multiformitae referenda est non ad ipsum sed ad effectus, ad diversitates recipientium non receptum". Fol. 40 *ra*. "Vide igitur quam eleganter locus iste de Dei immutabilitate seu stabilitate. Sed si sic est, quomodo dicit theologia nostra: omnibus mobilior est sapientia, attingit, inquit, a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter?".

telis: "receptum est in recipiente ad modum recipientis et non recepti" (f. 39 *rb*) et Avencebrol de proportione diversa alicuius virtutis in effectu secundum huius elongationem a prima origine (54). Pro immutabilitate insistit in necessitate motoris immobilis in quo quaevis contradictio esse non potest.

3. Creatio mundi

Mundus exiit a Deo per creationem; ita tractatus de creatione veluti medium occupat locum inter tractatus de Creatore et de creaturis. Ideo secunda pars *Sapientialis* tractationem exorditur in libro II (55) de creaturis, per tractatum de creatione mundi in quo Thomas de Eboraco tradit doctrinam de creatione et discutit quaestionem, aevo scholastico valde agitatam, de aeternitate mundi creati. Quia vero creatio actio Dei est, ideo haec ad doctrinas de Creatore adiunximus.

Sufficit videre auctores testimoniorum quae, pro suo more, in exponenda notione creationis adducit Thomas de Eboraco ut nullo modo expectemus ab ipso tractationem scholasticam de re, plures complectens quaestiones quas habet e. g. Albertus Magnus in primo tractatu eius *Summae de creaturis*. Auctores adducti, sunt praesertim Algazel et Avicenna, Avencebrol et Gundissalvius: notio ergo creationis enucleatur iuxta generalia lineamenta quae apud ipsos inveniuntur.

Enixus rationibus metaphysicis arabum, auctor *Sapientialis* excludit a genuina notione creationis conceptum creationis naturalis, intentae, casualis et quae quoquomodo essentiam creantis dividat; quibus opponit uti veram notionem, creationem per scientiam (activam relate ad obiectum) et amorem, cum voluntate identificatam et cum potentia Dei. Creatio est actio omnino libera. A philosophis arabibus comparatur fonti et rivulis ex ea promanantibus et soli et eius radiis aerem et terram illuminantibus.

(54) Fol. 39 *rb*: "Est, inquit (Avencebrol, l. 3, c. 55) virtus que fluit in aliquo fortior apud eum qui magis est circa ipsum, et ideo virtus quae fluit a factore primo et secundo fortior est apud eum qui magis est circa eum quam apud illud quod non est penes eum sed longius ab eo, haec enim virtus essentialis et infinita propter diversitatem formarum in angusto et determinato non diversificatur in seipso sed in receptis, nec diversitas virtutis retorquenda est in essentiam virtutis sed in essentiam rei recipientis accionem eius". Hoc principium Avencebrol magnum habet momentum in methaphysica Thomae de Eboraco quippe quod magnopere recurrit in explicatione principiorum entium et individuationis.

(55) Plura habet Thomas de Eboraco in libro primo quae non consileravimus; specialem tractationem mererentur capitula de scientia Dei praesertim plura quae habet de positione idearum platonicarum in Deo modo augustiniano; et etiam capitula de providentia Dei in omnibus et singulis hominibus, de omnibus naturalibus, de omnibus casualibus et voluntariis; et adhuc quae in ultimis capitibus de Dei fruitione et beatitudine tradit. His nos debuimus supersedere ut vacare possemus quaestionibus magis directe metaphysicam generalem spectantibus quae pondus totius *Sapientialis*, prout nunc restat incompletum, ferre, dicendae sunt.

Ex nobilitate Creatoris, nobiles resultant proprietates pro omnibus creaturis: unitatem, nempe, a Deo uno, bonitatem a Deo bono, veritatem a Deo vero et pulchritudinem a Deo pulchro (quae cum bono identificatur). Pulchritudo autem crescit si, praeter singula entia, mundus totus consideratur in quo est maximus ordo et pulchritudo quia est a Deo sapientissimo qui ut talis est laudandus atque magnificandus. Mundus creatus, est omnium creabilium perfectissimus quia in ipso unumquodque ens habet suum esse quam perfectissime illud habere potest. Totus tamen universus rerum creatarum nullimode comparari potest Enti necessario cum quo, si comparetur, nihil est quaelibet magnitudo creaturae.

Postquam creationem relate ad Deum et relate ad creaturas considerata est, ipsa actio creationis in se tandem enucleatur (56). Creatio differt a causatione et generatione iuxta Gundissalvium et Avicennam. Est actio sine tempore, sine materia, nobilissima omnium, Dei exclusiva, est enim actio agentis per seipsum, quia est dans esse. Addit in fine aliqua exempla de quibus tamen monet quod "ministrant occasionem erroris audentibus pariter et veritatis" (57).

In quaestione de aeternitate mundi recitationem Maimonidis (58) quam maxime sequitur, ut ipse aliquotiens dicit. Quaestionem de mundi antiquitate aut novitate, id est de eius aeternitate aut temporaneitate, directe tractat sed in fine considerationem de creatione aeterna expendit et reicit. Distinctio vero inter fidem et rationem ut, supposito dogmate, de possibilitate creationis ab aeterno, discutiatur, non apparet sed Thomas de Eboraco mundi aeternam creationem rationibus necessariis reicit et temporaneitatem simili modo asserit. Ex toto quaestionis processu et ex argumentis in fine additis pro mundi novitate, se se praebet auctor noster uti positionem augustinismi clare defendentem, modo simili ac Alexander Halensis et Bonaventura ipsam defendunt.

Tribus capitulis (59) quaestionem absolvit, quorum primum rationes Platonis et Aristotelis pro mundi aeternitate exponit secundum Maimonidem; alterum has opiniones interpretatur et rationibus respondet quibus fulciebantur, in tertio denique vias Maimonidis pro mundi novitate tradit et complet additis novis argumentis ex Gundissalvio, Avicenna et Aristotele deductis (60).

(56) Fol. 60 *vb*: "Post tractatum de Creatore sequitur tractatus de creaturis cuius in principio, exitus creaturarum a creatore declarandus est, et quantum ad ipsum unde exeunt, et quoad ipsas creaturas quae ab ipso exeunt, nihilominus quoad modum quo exeunt".

(57) Tales sunt e g. emanationes e fonte, umbrae ex corpore, vestigii a gradiente, verbi a loquente, etc. quas auctor desumit praecipue ex Avencebrol.

(58) Cf. Rabbi Mosis Maimonidis *Liber More Nebuchim, Doctor perplexorum*, Basileae 1629, pars II, c. 13, p. 216-235 et etiam pars I, c. 74, p. 165-172.

(59) Nuper haec tria capitula (l. II, c. 4, 5, 6) edita sunt a E. Longpré: *Archives d'histoire doctrinale et littéraire du moyen âge*, I (1926-7), 273-293.

(60) Fol. 63 *rb* incipit quaestionem: "Post hoc loquar de creacione et quaeram quaestionem in qua laboraverunt multi, videlicet an ipsa sit nova vel antiqua et circa eam 3 sunt opiniones secundum quod recitat Rab. Moises, c. 92..."

Aristotelis et Platonis sententiam de mundi aeternitate, benigne uti Maimonides interpretatur, quasi Aristoteles mundi aeternitatem ut probabilem tantum dasset, Plato autem quasi ponentem chaos primitivum ut meram ordinis privationem in quo ab opinione christianorum differt tantum quia statuit huius chaos aeternitatem. Rationes Aristotelis pro mundi aeternitate ex Dei perfectione, ex eius immutabilitate, ex praecessione temporis et spatii, etc., clare et fuse exponit et postea similiter redarguit, libertatem creationis quam maxime vindicans. E septem viis Maimonidis pro mundi novitate, aliquibus tantum aliqualem valorem tribuit (61), rationibus scilicet ex multitudine infinita animarum et ex natura entis necessarii et possibilis, et addit rationem eius praecipuam esse quod ex mundi novitate per liberam in tempore creationem plura determinantur quae secus dubitabilia manent et indeterminata, sicut numerus sphaerarum et similia.

Ex hoc iam apparet in mente nostri philosophi satis arcte connecti mundi aeternitatem cum creationis necessitate et creationis libertatem cum mundi temporaneitate. Similiter ex argumentis in fine additis pro mundi novitate apparet Thomam de Eboraco conversionem instituere inter conceptum rei non incipientis et notionem rei increatae, sicut et inter notionem rei creatae et notionem rei incipientis esse, ideoque non aeternae sed temporaneae modo simili ac Alexander Halensis et Bonaventura (62).

Ex hucusque expositis quae ad Creatorem referuntur, apparet Thomam de Eboraco ad antiquam scholasticam augustinianam omnino se vertere, licet omnia nova elementa quae peripatetismum Alberti et Thomae produxerunt bene noverit. Modalitas vero characteristica, quae non parum in ipsis enucleandis doctrinis et tradendis quaestionibus influit, est methodus peculiaris et finis sui *Sapientialis*, scilicet: doctrinas philosophicas ordinate tradere quantum fieri potest (63) secundum sapientum testimonia in quibus utendis et disponendis labor magnus et ingenium excellens et scientia amplissima ostenditur.

(61) Fol. 65 *rb*: His igitur praemisis adducam nunc tibi in hoc capitulo rationes quae eliciuntur a sapientibus mundi pro novitate eiusdem. Scito igitur quod Rabby Moises c. 72 recolligit rationes sapientum ad hoc in viis septem quarum tamen omnes non apparent usquequaque valide et propterea brevius eas pertractabo".

(62) Cf. *Summa theol.* ALEXANDRI DE HALES, Ad Claras Aquas, 1924, Proleg. XXXIX.

(63) Etiamsi talis sit finis auctoris, quem constanter memorat et exequitur, non tamen supponi debet *Sapientiale* velut opus musivum ex testimoniis sapientum plus minusve sapienter extructum, auctor enim magnam in hoc libertatem sibi vindicat, prout natura rei postulat. Sic f. 64 *rb*. "Iam nunc restat respondere supradictis et discutere quae dicta sunt et *si fieri potest secundum sapientum testimonia*, et *afferre alia* pro mundi novitate."

CONCLUSIO

Nunc autem priusquam veluti uno obtutu quae hic sparsa reliquimus colligamus, quaedam repetere iuvabit de methodo atque influxibus aliorum philosophorum in *Sapientiali*, quae alio in loco explanavimus (1) ut sic amplior conspectus et exactior de directione metaphysica Fris. Thomae de Eboraco haberi possit.

Peculiaris methodus tradendi philosophiam, prout de singulis quaestionibus sapientes loquuti sunt, *Sapientiale* induit characterem quemdam compilatorium potius quam systemathicam et originale. In quo parallelum eo tempore invenimus Albertum qui in sua encyclopedia philosophica doctrinas omnes antiquorum tunc notorum coordinat in corpus aliquod doctrinae, quod tamen nequit vocari systhema, quia deest unitas logica inter conclusiones inter se et cum ideis directricibus (2). Compilatio tamen, sive Alberti, sive Thomae de Eboraco non potest dici eclectica. Nam Albertus voluit praesertim introducere in Occidente Aristotelem eumque intelligibilem magistris sui temporis reddere, sicut idem fatetur initio suae *Physicae*, addendo simul repertorium totius scientiae antiquae (3); non est ergo impartialis relate ad omnes sapientes sed sicut alte extollit peripateticos, ita despicit platonicos et praesertim Avencebrol. Thomas de Eboraco ex sua confessione poterat magis videri eclecticus, et etiam ex sua procedendi ratione; numquam enim quemdam sapientem despicit aut minus habet sed omnes pariter aestimat et eorum testimoniis utitur; ex toto tamen operis complexu et ex quibusdam quaestionibus luculenter apparet eius positio conservativa, ad quam novitates aristotelicas trahere conatur. Ipse plerumque sapientum doctrinas affert ut inter se coordinet secundum recepta placita augustinismi et cum dogmate christiano per eumdem augustinismum. Et in hoc invenimus aliquam similitudinem maiorem cum libris *Sententiarum*, praesertim cum celeberrimis Petri Lombardi.

Talis character compilatorius optime respondit adiunctis eorum temporum. Sane, priusquam opera modo cognita in Occidente, quorum influxu tota

(1) Vide: Treserra. *Entorn del Sapientiale de Tomàs de York. Criterion*, Barcelona, 5 (1929) fasc. 1.
(2) P. Duhem. *Le systhème du monde*, tome V, Paris 1917, 412.
(3) Cf. P. Mandonet. *Siger de Brabant et l'averroisme latin au* XIII *siècle*, Louvain, Institut Superieur de Philosophie, 1911, 37 ss.

scholastica renovata est, in unum systema digesta essent, ipsa debebant explanari ac coordinate praesentari cum scientia traditionali et cum dogmate concordata. Posset interrogari quaenam methodus in se perfectior appareat, an methodus Alberti, plus accedens ad commentarium parafrasticum ad modum Avicennae, quae postea evoluta est per commenta litteralia ad modum Averrois, an methodus in *Sapientiali* Thomae de Eboraco initiata, quae, logicam sequendo systhematicam dispositionem, in unum corpus scientificum conatur coordinare testimonia Aristotelis et aliorum omnium sapientum. Unum tantum dicere volumus; si, nempe magni scholastici saeculi XIII in suis expositionibus philosophicis systhematice materiam disposuissent et fontes suarum idearum designassent, sicuti in *Sapientiali* reperimus, eorum tractatus quoad methodum doctrinas disponendi a perfectione modernorum auctorum nullatenus discessissent.

Thomas de Eboraco, sicut Albertus, sese vertit ad magistros ut eis aperiat doctrinas philosophicas sapientum; ipse tamen, ut videtur, philosophiam ad theologiam subordinat, licet separatam tractationem et verbis et factis vindicet. Eius ergo influxus non est minimi aestimandus in impulsu quem dederunt Ordines mendicantes studiis philosophiae in secunda medietate saeculi XIII (4). Et ex hoc apparet positio eius relate ad Spirituales satis conformis positioni Bonaventurae et maiori parti Ordinis (5).

Influxus aliorum philosophorum sane in tali methodo debuerunt esse omnino praevalentes. Magistri scholae diversos influxus subierunt (peripathetismus Aristotelis, neoplatonismus hellenicus libri *De causis,* neoplatonismus arabus Avicennae et Algazel) quos non semper recte distinxerunt quia ubi nomen idem videbant eamdem credebant esse doctrinam (6). Hoc multo magis valet pro scholasticis plus minusve compilatoribus quam systhematizatoribus. Omnes influxus quos recepit scholastica saeculi XIII inveniri possunt apud Thomam de Eboraco quippe qui nullum systhematice respuit sed omnes inter se et cum dogmate concordare conatur ad unitatem sapientiae extruendam. Praecipuos tantum indicare volumus.

Positio doctrinalis Thomae de Eboraco potest bene retineri uti conservativa. Supremus sapiens ac omnino indiscussus est Augustinus; ex influxu ipsius in praecipuis quaestionibus excusatur Plato a suis erroribus quos imponit ei Aristoteles et ad christianam philosophiam proximior retinetur. Quia tamen doctrinae philosophicae, praesertim quae ad metaphysicam generalem referuntur, non sunt apud Augustinum adeo evolutae, et Plato nonnisi in versione et commento Timaei, a Chalcidio confecta, directe cognitus erat, ideo

(4) Cf. FELDER: *Histoire des études dans l'ordre de S. François*, trad. par EUSÈBE DE BAR-LE-DUC, Paris, 1908, 479.
(5) Vid. FELDER, *op. c.*, 485.
(6) P. DUHEM. *Le système du monde*, tome V, Paris, 1917. 315 ss.

influxus iste magis uti norma directiva quam uti nucleus doctrinalis est aestimandus.

Aristoteles, sive in se, sive in suis imitatoribus ac commentatoribus arabibus, Averroe, Avicenna et Algazele cui nectitur Moises Maimonides, nucleum maximum notionum atque doctrinarum metaphysicarum Thomae de Eboraco praebet (doctrinae de materia et forma, de privatione, de causis, de universalibus, de transcendentibus, de entis analogia, de praedicamentis et praedicabilibus, etc.). Quod in auctore e schola franciscana Oxoniensi minorem admirationem gignit si consideramus Robertum Grosseteste primum initiasse aristotelismum in schola franciscana (7). In quibusdam tamen quaestionibus et notionibus quae decisivae pro tota directione metaphysica sunt habendae (relatio materiae et formae ad compositum, individuatio, universalitas materiae in omnibus creatis, eductio formarum, existentia materiae et formae, etc.). Aristoteles quin deseri videatur, ita concordatur cum Platone et aliis sapientibus vel cum Augustino, ut appareat apud Thomam de Eboraco necessitas complendi ipsum Aristotelem per alia principia quae suas notiones ac doctrinas in relatione cum Deo ponebant et quae cum christiano dogmate non solum, sed cum speculatione quadam mystica, arctius unire videbantur.

Hoc complementum, quod uti centrum haberi potest totius directionis metaphysicae auctoris nostri, inventum est in philosophia *Fontis vitae* iudaei Avencebrol. Eius character praedominanter neoplatonicus sed methodo ac principiis quibusdam aristotelicis procedens, verbis saltem creationem liberam ex parte Dei salvans, potuit optime apparere uti recte concordans aristotelicam doctrinam cum traditionalibus augustinianis placitis, quae uti philosophia traditionaliter christiana habebantur. Haec ratio, saltem pro nostro auctore, ex toto modo procedendi, primum locum videtur occupare. Et sic ita theses eius praecipuae defenduntur ut principiis aristotelicis probari intendantur, vel saltem consonare omnimode.

Momentum reale philosophiae Avencebrol in scholastica franciscana, praesertim, ex ratione procedendi Alberti et Thomae relate ad ipsam, satis erui potest. Albertus enim iam in *Commento in II Sent.*, dist. 1 A art. 5 (8), librum *Fontis vitae* despicit, ex eo quod non procedat ex propiis principiis disciplinae naturalis; et in explanatione libri *De causis* adhuc severius iudicatur Avencebrol. Simili modo S. Thomas iam in *Commento in II Sent.*, dist. 3, q. 1, art. 1, plures sequi Avencebrol in positione de universalitate materiae testatur (9); in opusculo autem *De substantiis separatis* energice refutat doctrinam Aven-

(7) Ehrle. *L'Agostinismo, etc. Xenia Thomistica,* vol. 3, 1925, 575.

(8) Ed. Parisiorum 1894, vol. 27, p. 14: "Non fuit opinio philosophorum magnorum quod omnium esset materia una."

(9) "Respondeo dicendum quod circa hanc materiam tres sunt positiones, quidam enim dicunt quod in omni substantia creata est materia et quia omnium est materia una, et huius positionis auctor videtur Avicebron qui fecit librum *Fontis vitae,* quem multi sequuntur."

cebrol eiusque radices. Parisiis Guillelmus Parisiensis Avencebrol quodam enthusiasmo adducit quia adumbravit processionem Filii (10), in sua metaphysica tamen eum non sequitur; alios tamen fideliores ipsi esse Rogerius Baco ostendit (11). Oxoniae res pari modo omnino sese habebant a Roberto Grosseteste ad tempora Scoti (12) et hoc ostendit luculenter positio Thomae de Eboraco. Cum Avencebrol plerumque apud auctorem nostrum apparet Dominicus Gundissalvius, notus traductor toletanus qui, neoplatonismo Avencebrol praecipue adhaerens, aliqua principia modo magis aristotelico explicavit, praesertim quaestionem de unione materiae et formae et mutua earum relatione; et in his Thomas de Eboraco ipsum sequitur.

Alii influxus arabum et Boethii, ex quibus non pauca Thomas de Eboraco testimonia desumit, minoris momenti videntur in generali eius directione metaphysica. Si ergo relate ad augustinismum et aristotelismum Thomas de Eboraco est definiendus, eius positio dicenda est omnino ad ideas aristotelicas aperta quas tamen conatur trahere ad traditionales positiones augustinismi per philosophiam Avencebrol.

Et nunc iam apparet tendentia metaphysica quae in *Sapientiali* latet. Opponuntur Creator et creaturae: Deus est necessarium, aeternum, simplex, prima causa et primum principium omnium a quo omnes participant esse et bonitatem. Creaturae sunt entia contingentia, temporalia vel perpetua, composita, esse et bonitatem a Deo participantia.

In creaturis, quia compositis, distinguuntur *esse* et *id quod sunt*, haec tamen compositio non curatur (13) quia alia magis stricta metaphysica consideratur. Nimirum compositio ex actu et potentia seu ex materia et forma, nam non intelligitur alia potentia quae non sit materia et consequenter omnis actus est forma. Materia et forma in se consideratae non habent esse nisi in potentia. *Esse* proprie dictum, scilicet *esse in actu*, exurgit ex earum coniunctione ideoque non competit soli materiae vel soli formae sed tantum primo composito ex eis. Esse advenit composito ex forma, sed informante aliquam

(10) Avencebrol ap ipso appellatur "theologus nomine et stylo, ut videtur, arabs" et putatur christianus. *Guillelmi Parisiensis Opera omnia*, ed. Aureliae, 1674, t. 1, 621, col. 2.

(11) Cf. P. Duhem. *Le système du monde*, tome V, Paris, 1917, qui Baconis quaestiones ineditas considerat. Ipse pag. 380 concludit: "L'admiration que Guillaume d'Auvergne professait pour Avicebron n'était pas isolée: elle trouvait un écho dans l'enseignement de l'Université de Paris; et parmi les maitres de cette Université, certains suivaient le Rabbin de Malaga plus loin que Guillaume d'Auvergne, Alexandre de Hales et Robert Grosseteste ne le voulaient suivre; ils lui accordaient que les intelligences, les anges et les âmes contenaient matière et forme; Bacon se trouvait parmi ces disciples fidèles de la *Source de la vie*".

(12) *De rerum principio*, q. 8, art. 4: "Ego autem ad positionem Avicembronis redeo." Cf. M. de Wulf. *Le traité "De unitate formae" de Gilles de Lessines*: *Les philosophes belges*, Louvain, 1901, Institut Superieur de Philosophie.

(13) Cf. M. D. Roland-Gosselin. *Le "De ente et essentia" de S. Thomas d'Aquin*. Le Saulchoir, Kain (Belgique) 1926, p. 168.

materiam. Omnis unitas est a forma. Forma retinet materiam. A materia est omnis divisio, distinctio et multiplicitas, nam si forma sola sine materia esset, una esset. Quia vero multitudo nequit existere sine distinctione ac numeratione actuali, ideo in omni substantia creata duplex unitas considerari debet: formalis et activa, materialis et passiva. Individuatio procedit ex unitate formali praesupposita tamen unitate materiali. Accidentia exiguntur ab unitate materiali quia omnis mutabilitas, utpote potentia, nonnisi ex materia provenire potest. Ipsa tamen accidentia non subiectantur in materia nisi praesupposita unitate formali, seu eius informatione ex parte formae.

Materia extenditur ad omnia. Distinguendae tamen sunt materia universalis, materia coelestium et materia transmutabilium. Materia communis omnium est materia universalis seu materia prima cuius conceptus reducitur ad subiectationem sub aliqua forma. Ipsi respondet forma universalis seu forma prima. Sub forma et materia universali aliae habentur materiae magis ac magis particulares quibus propriae correspondent formae, descendendo per genera et species usque ad formam elementorum ex quibus mixta et cetera omnia oriuntur.

Formae procedunt a Deo ita tamen ut per hierarchiam creaturarum descendant ad materiam corporalem quarum operatione educuntur e potentiis materiae, non enim penitus infunduntur. Deus impressit unitatem in materia seu coniunxit et retinet unita materiam et formam, sunt enim inter se contraria elementa quae nonnisi ope causae exterioris in unum possunt coalescere.

Sic explicatur tota diversitas rerum per processum quo omnia egrediuntur a primo ente, nempe Deo, et in se sunt magis vel minus perfectae, prout minus vel magis elongantur ab eo. Et quo magis elongantur a Deo, magis formae multiplicantur quia materia, imperfectior cum sit, nequit perfecte penetrare formam et ideo aliam appetit, ex quo transmutationes oriuntur in entibus. Hic processus comparatur luci cuius diversa luminositas pendet ex sui elongatione a fonte et simul ex densitate medii quod pervadit, et quae similiter debilior fit quanto magis a fonte elongatur et medium densius penetrat. Huic processui, alius respondet reversivus, quo nempe omnia conantur imitari perfectionem Dei iuxta gradum quem occupant in entium hierarchia, hoc enim est suum esse et suum agere. Iam vero, materia, cum infimum omnium sit et nulla actualitate dotetur, hoc desiderium imitationis et perfectionis explet per eius appetitum ad formam, quo, cum semper formas appetat perfectiores, ideo perpetuae oriuntur mutationes in entibus inferioribus transmutabilibus; cum vero materia perfectiores formas adepta sit quietatur et stat. Per hunc autem appetitum materiae ad formam seu unitatem, ex principiis contrariis inter se, ut sunt materia et forma, nova ac nova composita perfectiora et complexiora fiunt quae non dissolvuntur nisi ut nova semper oriantur.

Hic nucleus characteristicus dici potest metaphysicae Thomae de Ebo-

-raco, in quo apparent praecipui influxus praedicti. Huic aliae ideae minoris momenti et procedentes praesertim ex Aristotele connectuntur vel iuxtaponuntur.

Eius ergo directio apparet Alberto ac Thomae adversa, magis fidelis Avencebrol quam positio Alexandri Halensis, minus aristotelica ac Ioannis de Rupella, et forte minus augustiniana ac Bonaventurae.

Felix TRESERRA, *Sac.*
Professor in Seminario Vicensi

Haec lucubratio una cum alia catalaunice in periodico *Criterion* (Barcelona, 1929, fasc. 1) edita, auctori inserviit ut diploma *Magistri aggregati Facultatis Philosophicae Universitatis Gregorianae* consequeretur. Auctor praesentem occasionem arripit ut omnibus qui hoc labore parando ei fuere quodammodo adiutoribus ex intimo corde grates rependat debitas.

...is metaphysicis Fratris
.F.M. # 15900

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO—5, CANADA

15900